AUTHOR:

KULLA, MAXIMILIAN

TITLE:

QUAESTIONES STATIANAE

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1881]

Master Negative #

92-80467-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Kulla, Maximilian, 1857-
Quaestiones Statianae; dissertatio inauguralis philologica quam scripsit... Maximilianus Kulla... Vratislaviae, Typis S. Schottlaenderi, [1881]
66 p. 22½ cm.

Thesis, Breslau, 1881.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M. P. C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES STATIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXII. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXI, HORA XII.

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

MAXIMILIANUS KULLA

RATIBORIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

AEMILIUS SCHIPPKE, DR. PHIL. PAULUS PROHASEL, CAND. PHIL.

OSCAR PRZYGODE, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS S. SCHOTTLAENDERI.

Manibus Patris Mei.

Biennio proximo omne fere studium meum, cum iam dudum praeter cetera literis Romanis studuerim, in P. Papinium Statium contuli eo consilio, ut de Statii imitatoribus quaestiones haberem. Quamquam initio haesitans ad Statium accessi, cum iam multa hic illic de hac re a viris doctis prolata essent, tamen ea re commotus, quod propria dissertatio de Statii imitatoribus nondum in lucem emissa erat, quaestiones illas institui. Priusquam Statii carmina perlegerem, tantum Statii imitatores, ut iam supra dixi, attingere mihi in animo fuit. Cum vero in Statii carminibus multa Vergiliana, Horatiana, Ovidiana mihi occurrerent, operae pretium esse mihi videbatur etiam inquirere, quantum Statius ex illorum carminibus in ipsius carmina transtulisset. Iamque ad finem quaestionum mearum perveneram, cum dissertatio de eadem re a Luehrio instituta[1]) in conspectum meum adducta est, qua maximam partem locorum iam a me collatorum omittere coactus sum. Neque adeo deterritus sum, ut de incepto meo desisterem, sed curis iteratis in Vergilii carmina inquirens — Luehrius quoque de Statio Vergilii imitatore accuratius disputavit — multos locos investigare mihi contigit, qui illum effugerunt. Accedit, quod Luehrius Statii silvas tantum in quaestiones vocavit.

Statium imprimis Vergilium et Horatium imitandos sibi proposuisse satis constat, qua in re nemo nostrum offendet, praesertim cum iam Vergilius Homerum aliosque[2]), Horatius Alcaeum et Sappho[3]) potissimum secuti sint ex iisque permulta petita in usum suum verterint. Attamen in carminibus Statii permulta inesse, quae Papinius ex sua ipsius indole petivisset, iam Carolus Krause recte censuit[4]). Vergilii Aeneidem cum Statii Thebaide comparans hunc illi sermonem suum debere dixeris, cum saepissime non modo

[1]) Haec dissertatio inscribitur: ‚De P. Papinio Statio in silvis priorum poetarum Romanorum imitatore.' Brunsb. 1880.
[2]) cf. Teuffel. Römische Literaturgeschichte III, p. 468, 6.
[3]) cf. ibid. p. 494, 2.
[4]) cf. praef. diss. ‚de P. Papinii Statii comparationibus epicis' Halis 1871.

eisdem verbis et eadem verborum structura atque Vergilius usus sit, sed etiam totos locos ex Vergilio mutuari non dubitaverit. Praecipue in comparationibus, quarum in Thebaide satis magnus numerus est, Vergilium secutus est, quod praeter ceteros Carolus Krause multis argumentis explicavit.

Si certam imitationem poetae cuiuslibet statuere volumus, tria nobis respicienda sunt. Primum enim nobis quaerendum est, num sensus in locis conferendis idem sit, deinde num eadem vel similia verba ab imitatore adhibita sint, tum videndum nobis est, num imitator eadem structura et verborum collocatione quibus quem imitatus est, usus sit. Si haec tria in locis componendis coniuncta invenerimus, imitationem certam statuere poterimus, etsi negare nequit poetas persaepe eos locos, quos imitaturi erant, vel notione mutata vel aliis verbis suppositis carminibus suis mandasse, qua re difficultas quaestionum earum sane quam augetur. Quaestiones has ita institui, ut parte priore Statii potissimos imitatores, altera parte Statium Vergilii et Horatii imitatorem percenserem. De Ovidio Tibullo aliisque Luehrius copiosius disseruit quam ut locos graviores ex illis petitos ad Statii imitationem explanandam proferre possem.

Maxima laude dignus est Woldemarus Ribbeck, qui in appendice adiecta editioni carminum Vergilianorum ab Ottone Ribbeck Lips. 1860 curatae magnam copiam locorum attulit, quos ex Vergilii imitatoribus petivit. Pari laude dignus est Antonius Zingerle, quod in eo libro, qui inscribitur, »Zu späteren lateinischen Dichtern« Innsbruck 1873, de Vergilii, Horatii, Ovidii aliorumque imitatoribus uberrime disputavit[1]). Vehementer vero mihi dolet ab O. Muellero sex tantum libros Thebaidis in lucem emissos esse, quos scholiis et locis imprimis ex Vergilio atque Ovidio collatis munivit.

---

[1]) Neque hos libros commemorare omittam, quibus pariter observationes gravissimae continentur:
- a. Ovid und sein Verhältnis zu den Vorgängern und gleichzeitigen römischen Dichtern. Innsbruck 1869—71.
- b. Kleine philologische Abhandlungen. Innsbruck 1871 u. 1877.
- c. Martials Ovidstudien. Innsbruck 1877.

I.

Initium capiam ex Statii aequalibus, Martiale et Iuvenale, quorum priorem interdum de iisdem rebus atque Papinium scripsisse compertum habemus[1]).

Mart. epigr. II, 75, 1 sqq.

,Verbera securi solitus leo ferre magistri
Insertamque pati blandus in ora manum
Dedidicit pacem subito, feritate noverca
Quanta nec in Libycis debuit esse iugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba
Sanguineam rastris, quae renovabat humum
Saevus et infelix furiali dente peremit'.

Verisimile est Martialem epigramma illud scribentem de Statii comparatione, quae est Ach. II., 184 sqq., cogitasse, ubi leo describitur, qui iam domitus aliquando ubi domini gladium sibi minitantem adspexit, ira inflammatus eum interemit. Iam audiamus Statii versus:

,Ut leo, materno, cum raptus ab ubere mores
Accepit pectique iubas hominemque vereri
Edidicit, nullasque ruit nisi iussus in iras
Si semel adverso radiavit lumine ferrum
Eiurata fides domitoque inimicus, in illum
Prima fames, timidoque pudet servisse magistro'[2]).

---

[1]) cf. Teuffel. Gesch. der röm. Liter. III., p. 728, 2.

[2]) Similis comparatio de leone Aeschyl. Agam. 657 sqq. (Hartung) mihi occurrit.

Ἔθρεψεν δὲ λέοντα
σίνω δόμοις ἀγάλακτον
οὕτως ἀνὴρ φυλόμαστον
ἐν βιότου προτελείοις
ἅμερον, φιλόπαιδα
καὶ γεραροῖς ἐπίχαρτον
πολέα δ', ἔσχ' ἐν ἀγκάλαις
νεοτρόφου τέκνου δίκαν
φαιδρωπὸς ποτὶ χεῖρα,
σαίνων τε γαστρὸς ἀνάγκαις
χρονισθεὶς δ' ἀπέδειξεν
ἔθος τρόπους τε τοκήων
χάριν τροφᾶς γὰρ ἀμείβων
μηλοφόνοισι σὺν ἄταις
δαῖτ' ἀκέλευστος ἔτευξεν
αἵματι δ' οἶκος ἐφύρθη
ἄμαχον ἄλγος οἰκέταις
μέγα σίνος πολύκτονον.

Mart. spect. 27, 3:
,Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem.'
Stat. silv. 1, 3, 6:
,Nec gravis adspexit Nemees frondentis alumnus'.
quo versu sane leo ab Hercule interfectus et tum inter astra relatus intellegendus est.

Mart. epigr. I., 13, 1: ,Tiburis gelidae arces' et Stat. silv. I., 3, 1: ,Tibur glaciale' commemorantur, ubi Romanos divites vitandi caloris causa aestatem egisse notum est.
Mart. epigr. III, 20, 19:
,An aestuantes iam profectus ad Baias'.
Stat. silv. IV, 3, 26:
,et aestuantes
Septem montibus admovere Baias'.
cf. Hor. carm. II, 18, 20 sq.:
,Marisque Baiis obstrepentis urges
Summovere litora'.

Mart. epigr. V., 64, 3:
,Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo'.
Stat. silv. I., 2, 111[1]):
,nec pingui crinem deducere amomo'.
Martialis Atrei sceleris mentionem facit epigr. X., 4, 1:
,Qui legis — caligantemque Thyesten.'
Similiter Statius Theb. I., 325[2]):
,Et caligantes abrupto sole Mycenas.'
Cum Mart. epigr. IV., 13, 15:
,iunguntur vitibus ulmi'
iam Zingerlius (zu späteren etc.) I., p. 61 sq. recte contulit Statius Theb. IV., 106; Ovid. met. I., 23; II, 80; III, 26. Similiter fere claudit Hor. epist. I., 16, 3:
,an amicta vitibus ulmo'.
Neque alius sensus inest in Stat. silv. V., 1, 48:
,Qualiter aequaevo sociatam palmite vitem
Ulmus amat,'

---

1) cf. Apollin. Sidon. XI, 106 (Sirmond):
,vel crinem fluxus amomo
Fluxus odoratis vexat venatibus Indus.'
2) cf. Nemes. cyneg. 40:
,Condentemque caput visis Titana Mycenis.'
Claudian. bell. Gildon. 399:
,Hoc facinus refugo damnavit sole Mycenas.'
Dracont. Orest. 781:
,Sol negat almus equos iterum de more Mycenis'.

atque in Commodian. instr. XXX., 16:
,Sicut ulmus amat vitem.'

Mart. epigr. X., 6, 3 incipit:
,Quando erit ille dies' —
et similiter Stat. Theb. VIII., 206[1]):
,Iamque erit ille dies, quo' —
Alios minus certos locos affero hos:
Mart. epigr. I., 70, 2: ,ire iuberis
Ad Proculi nitidos, officiose, lares'.
Stat. silv. I., 2, 145:
,pandit nitidos domus alta penates'.
Mart. epigr. I., 1, 6:
,Laudibus immodicis Cares in astra ferant.'
Stat. Theb. VI., 497 sq.:
,innumera certe formidine cultum
Tollit in astra nefas'.

Pergam ad Iuvenalem, qui Statii Thebaidis mentionem facit eamque summis laudibus effert sat. VII, 83 sqq.:
,Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae
Thebaidos, laetam cum fecit Statius urbem
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Adficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur;'
Etsi ex versibus illis concludere possumus Iuvenalem Statii carmina bene novisse, tamen perpauca exempla, quae eum Statii imitatorem illustrent, eruere mihi contigit.
De expiatione Iuven. sat. IV., 523 sq.:
,Ter matutino Tiberi mergetur et ipsis
Verticibus caput abluet' —
Stat. Theb. IV., 602.:
,Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit.'
Iam Vergilius de expiatione Aen. IV., 230 dicit:
,Idem ter socios pura circumtulit unda'
cf. Pers. Flacc. II., 15 sq.:
,Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque et noctem flumine purgas.'

Iuven. sat. VII., 237:
,ut mores teneros ceu pollice ducat
Ut si quis cera vultum facit' —

---

1) cf. Hom. Il. VI, 448:
Ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἄν (ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή).

Stat. Ach. I., 332 sq.:
,Qualiter artificis victurae pollice cerae
Accipiunt formas ignemque manumque sequuntur.'
Iuven. sat. XI., 115 sq.:
,Hanc rebus Latiis curam praestare solebat
Fictilis et nullo violatus Iuppiter auro.'
Stat. Theb. I., 149 sq.:
,nec cura mero committere gemmas
Atque aurum violare cibis' —

Iuvenalem Statii versus in animo habuisse et ex iis versibus, quos modo attuli, et ex iis, qui sequuntur sat. XI., 120 sqq., colligi potest. Sensus enim utriusque loci est temporibus antiquissimis (sc. saeculo aureo) homines supellectile aurea non usos esse, sed vitam simplicissimam et moderatam egisse, cum aetas sua (Stat. 154 sqq. Iuven. 120 sqq.) longe diversissima ab illa esset.

Iuven. XIII, 100:
,Ut sit magna, tamen certe lenta ira deorum est.'
Stat. Theb. V., 688 sq.[1]):
,Sed videt haec, videt ille deum regnator, et ausis
Sera quidem manet ira tamen.' —

Poetas eos omittens, qui parum vel nihil momenti habent ad propositum meum recta via Nemesianum peto, cuius in carminibus nonnunquam apertius, quae fluxerunt ex Statio, prodeunt veluti cyneg. 19 sq.:
,Ut pater omnipotens maternos reddere menses
Dignatus iusti complerit tempora partus.'
quibus versibus poeta de Baccho loquitur, quem Semele mater ante tempus iustum pepererat quibusque — de v. 19. quidem ambigi non potest — ad Stat. Theb. VII, 16 sq. se applicare studet:
,Pondus eram, cui tu dignatus limina vitae
Praereptumque iter et maternos reddere menses.'

Nemes, cyneg. 3 de furore poetico legimus hunc versum:
,Aonio iam nunc mihi pectus ab oestro
Aestuat'
eodemque fere modo Stat. silv. II, 7, 3:
,Docto pectora concitatus oestro.'

Cyneg. 37 sqq. Nemesianus Phaetontis sortem describit his verbis:
,Qui male temptantem curru Phaetonta loquuntur
Extinctosque canant emisso fulmine flammas

[1]) cf. Mueller. ad Theb. V, 60.

Fumantemque Padum, cygnum plumamque senilem
Et flentes semper germani funere silvae.'
Statius de Phaetonte Theb. XII, 413 sqq.:
,Sic Hyperionidum tepido Phaetonta sorores
Fumantem lavere Pado; vix dum ille sepulcro
Conditus et flentes stant circum flumina, silvae.'
Cf. etiam Auson. ep. XXIV, 17 sq.:
,Et qui mutatis ignoti solis habenis
Fulmineum Phaetonta Pado mersere iugales.'
ac Avien. descr. orb. terr. 426:
,Fleverunt liquidae lapsum Phaetonta sorores.'

Nemes. cyneg. 42:
,Colchidos iratae sacris imbuta venenis.'
Stat. Theb. IV., 505:
,et Scythicis quotiens medicata venenis
Colchis aget' —

Iam locum afferam, quem num Nemesianus Statio debeat vix diiudicaverim — sensus vero loci utriusque idem est. Apud Nemesianum ratis describitur, quae non audens protinus mari se committere ante sinum experitur quam altum petit cyneg. 58 sqq.:
,Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
Litoribus totosque sinus percurrere remis.
Nunc primum dat vela notis portusque fideles
Linquit et Hadriacas audet temptare procellas.'
Stat. Theb. VI., 19 sqq.:
,Ceu primum ausurae trans alta ignota biremes
Seu Tyrrhenam hiemem seu stagna Aegaea lacessunt
Tranquillo prius arma lacu clavumque levesque
Explorant remos atque ipsa pericula discunt.
At cum experta cohors, tum pontum irrumpere fretae
Longius' —
Nemes. cyneg. 63 legitur:
,Mox vestros meliore lyra memorare triumphos
Adcingar' —

Poeta, ut Burmannus in ed. poett. Latin. p. 349 recte iudicat, triumphos intellexit, ,qui melioris lyrae carmen exigunt, id est felicioris, faustioris'. Itaque lectio ,meliore lyra' praeferenda est lectioni ,maiore lyra', quam liber vetus servavit. Nescio an Nemesiano Hor. carm. IV., 2, 33 obversatus sit:
,Concines maiore poeta plectro Caesarem'
(ubi sub maiore plectro carmen heroicum intellegendum est), quem quidem locum Papinium silv. I., 3, sqq. respexisse potius crediderim:

,Hic tua Tiburtes Faunos chelys et iuvat ipsum
Alciden dictumque lyra maiore Catillum;
Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Sive chelyn tollas heroa ad robora' —

Nemes. cyneg. 272 sq.:
,Haud secus effusis Nerei per caerula ventis
Cum se Threicius Boreas super extulit antro:
Stat. Theb. VI., 107 sq.[1]):
,Non sic eversa feruntur
Ismara cum fracto Boreas caput extulit antro.'
Cf. etiam Avien. descr. orb. terr. 1156:
,Iste feroci
Fusus ab Armenia vastum caput exerit antro.'
ac Prudent. contra Symmach. I., 356, ubi eundem hexametri exitum legimus:
,Eumenidum domina Stygio caput exerit antro.'

Nemes. ecl. I., 53:
,Adfueras varias patiens mulcendo querelas.'
Stat. Theb. VIII., 610:
,varias miscent sermone querelas.'

Statius Thebaidem his verbis prosequitur (XII., 811 sqq.):
,O mihi bissenos multum vigilata per annos
Thebai? iam certe praesens tibi fama benignum
Stravit iter' —
atque v. 818:
,Mox tibi, si quis adhuc praetendit nubila livor
Occidet.'
Nemesianus v. 812 et 818 fere integros recepit ecl. I., 83 sq.
,Namque hic in silvis praesens tibi fama benignum
Stravit iter rumpens livoris nubila plena.'

Nemes. ecl. III., 2:
,Torrentem patula vitabant ilice solem.'
ad Statii silv. III., 1, 70: ,et patula defendimus arbore solem' se applicat.

Ut omnes fere poetae Nemesianus quoque ad versum illum Vergilianum (IX., 752): ,Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum' alludit cyneg. 247:
,ungula terram | Crebra ferit'

---

1) Ceterum iam Statius Verg. Aen. IX., 814 et Aen. I., 127 ,placidum caput extulit unda' imitatus est. Praeterea cf. Tibull IV, 1, 123 ,cum sol caput extulit undis' et Anthol. Latin. (Riese) XVII, 229 ,caput extulit arvis'.

Locis a Luehrio in dissertatione, cuius in praefatione mentionem feci p. 33 collatis addam: Hor. sat. I., 1, 144: ,rapit ungula currus' et Stat. Theb. VI., 401 ,ferit gravis ungula campum.'

Ad eos versus, quos Zingerlius (Zu späteren etc.) I. p. 76 cum Verg. Aen. VII, 162 composuit, Nemes. cyneg. 115[1]) accedat: ,dum laeto flore iuventus.'

Nemes. ecl. I, 47:
,si florentes mors invida pelleret annos.'
Stat. silv. II., 3, 127:
,florentesque manu scidit Atropos annos.'

Ex iis poetis, qui saeculo quarto vigebant, primum Rufum Festum Avienum etsi levissime attingam. De v. 423 sqq. descr. orb. terr. cf. locos quos supra ad Nemes. cyneg. 37 protuli.
V. 627 sq. descr. orb. terr.:
,Aeolus imperio summi Iovis arbiter alto
Impositus pelago est effundere carcere ventos.'
Virgilio debentur (Aen. I., 52 sqq.):
,Hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.'
Cf. Zingerlium (Zu späteren etc.) I. p. 55. Neque tamen Zingerlius omittere debuit Ovid. met. IV., 663:
,Clauserat Hippotades adversos carcere ventos.'
et Ovid. met. XV., 301[2]).

V. 737:
,memores date carmina Musae'.
Stat. silv. II., 3, 6:
,date carmina Fauni.'
Alios locos ex Avieni descriptione orbis terrae petitos opportunitate data proferam. In reliquis Avieni carminibus vestigia Statiana non deprehendi. Qua de re D. Magnum Ausonium petam, quem in carminibus cum Terentium Vergilium Horatium tum Statium esse imitatum in eo libro, quem iterum ac saepius commemoravi, Zingerlius bene disputavit (Zu späteren etc.) I. p. 41 sq. Et hercle videre licet, quantum Ausonius praecipue in Mosella illos imitari enitatur creberrime versus complures deinceps ex illorum poetarum carminibus in sua transferendo.
Initium faciam ex Parent. III., 17[3]):
,Dictasti fatis verba notanda meis.'

---

1) cf. Anthol. Latin. (Riese) 9, 1 — primaevo flore iuventus.
2) cf. etiam Iuven. sat. X., 181: ,Aeolio nunquam hoc in carcere passus'.
3) In enumerandis locis Auson. sequor editionem I. Tollii Amstelod. 1669.

Stat. Theb. XVI., 618:
,praereptaque verba
Dictavit fatis' —
Auson. Prof. I, 13:
,Sive Panegyricos placeat contendere libros'
manavit ex Stat. silv. I., 3, 101:
,Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris.'

Ausonius Prof. III, 3 sq.:
,Facundum doctumque virum seu lege metrorum
Condita seu prosis solveret orsa modis'
de Statii silv. I., 4, 26 sqq. cogitavit:
,licet enthea vatis
Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur
Pirene, largos potior mihi gurges in haustus,
Qui rapitur de fonte tuo, seu plana solutis
Cum struis orsa modis, seu cum tibi dulcis in artem
Frangitur et nostras curat facundia leges.'

Auson. epitaph. XXXIII., 1 incipit: ,Laeta bis octono', quod versus initium iam a Statio esse usurpatum Zingerlius (Zu späteren etc.) I. p. 35 nos docuit.

Protrept. 20 sqq.:
,Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Thessalico permixtus equo: nec pinifer Atlas
Amphitryoniadem puerum; sed blandus uterque
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.'

Ausonio comparatio, quae legitur Stat. silv. II., 1, 89 sqq. animo obversata esse videtur:
,Tenero sic blandus Achilli
Semifer Haemonium vincebat Pelea Chiron,
Nec genitor Peleus natum comitatus in arma
Troica, sed caro Phoenix haerebat alumno.'

Auson. Protrept. 76:
,nec insertis praeberent ora lupatis'.
Stat. Ach. I, 281:
,non colla iugo, non aspera praebet
Ora lupis' —

Similis exitus Stat. Theb. IV., 730 nobis occurrit ,siccis illidunt ora lupatis.' Ex aliis poetis hos versus affero:
Prudent. Psychom. 192:
,Impatiens madidis frenarier ora lupatis.'

Claudian. in Rufin. II., 354:
,equites illic poscentia cursum
Ora reluctantur pressis sedare lupatis.'

Ceterum iam Vergilius Georg. III., 208 simili hexametri clausula usus est ,duris parere lupatis.'
Cf. Hor. carm. I., 8, 6:
,nec lupatis | Temperet ora frenis.'
Ovid. am. I., 2, 15:
,Asper equus duris contunditur ora lupatis.'

Auson. Cup. cruc. 15 sqq.:
,Rursus in omissum revocat heroidas aevum
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet et ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.'
Statius de Semele fulminata Theb. II, 71 sq.
,Et tunc forte dies noto signata Tonantis
Fulmine praeruptique cum te, tener Evie, partus
Transmisere patri.'

Auson. Prec. 31:
,Qua vaga Sauromates sibi iunxerat agmina Chuni.'
Stat. silv. III., 3, 170 sq.:
,Quae modo Marcomanos post horrida bella vagosque
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.'
Horatius de Scythis vagis carm. III., 24, 9 sq.:
,Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt' —
similiterque Papinius noster silv. V., 2, 135
,mutatoresque domorum
Sauromatas quaties?'
Cf. Luehrii diss. p. 21.

Iam ad Mosellam perveni, in quam Ausonius permultos versus ex Statii Tiburtina Manlii Vopisci et ex silv. I., 5 (balneum Claudii Etrusci) paene integros transtulit. Quod ad Mosellae formam et argumentum pertinet, iam tot de hac re bene disputaverunt viri doctissimi, ut operam frustra consumerem, si denuo hanc rem attingerem. Si quis rem accuratius cognoscere velit, is inspiciat Teuffelium (Geschichte der römischen Literatur III p. 987 k), Boeckingii editionem Mosellae p. 43 sqq., Zingerlium (Zu späteren etc.) I. p. 35 ac p. 41 sq.

Mos. 106 in eadem verba cadit atque Stat. silv. V., 1, 89 ,binominis Istri'.

Mos. 147: ‚magnaque surgunt
Aequora vicinique timent decrescere montes.'
Stat. Ach. 1, 462:
‚miranturque suum decrescere montem'.

Quam praeclare Ausonius describit inde a v. 169 usque ad v. 185, quomodo fluminum montiumque numina inter se ioculentur et laetantes nymphae choros ducant, dummodo ex ipsius indole haec fluxissent! Totum enim locum Ausonius ex Stat. silv. II., 2, 100 sqq. in Mosellam transtulit. Sed iam utriusque poetae versus audiantur.

Auson. Mos. 169—185:

‚Nec solos hominum delectat scena locorum
Hic ego et agrestes Satyros et glauca tuentes
Naidas, extremis credam concurrere ripis,
Capripedas agitat cum laeta protervia Panas
Insultantque vadis trepidasque sub amne sorores
Ferrent indocili pulsantes verbere fluctum.
Saepe etiam mediis furata e collibus uvas
Inter Oreiadas Panope fluvialis amicas
Fugit lascivos, paganica numina, Faunos.
Dicitur et, medio cum sol stetit igneus orbe,
Ad commune fretum, Satyros, vitreasque sorores
Consortes celebrare choros: cum praebuit horas
Secretas hominum coetu flagrantior aestus;
Tunc insultantes sua per freta ludere nymphas,
Et Satyros mersare vadis, rudibusque natandi
Per medias exire manus; dum lubrica falsi
Membra petunt, liquidosque fovent pro corpore fluctus.'

Statii versus hi sunt:

‚Saepe per autumnum iam pubescente Lyaeo
Conscendit scopulos noctisque occulta sub umbra
Palmite maturo rorantia lumina tersit
Nereis et dulces rapuit de collibus uvas.
Saepe et vicino sparsa est vindemia fluctu;
Et Satyri cecidere vadis, nudamque per undas
Dorida montani cupierunt prendere Panes.'

Cum Stat. silv. II, 2, 104, Mos. v. 195 conferatur:

‚Pampinus et vitreis vindemia turget in undis'.

De v. 177 Mos. cf. Zingerlium I. p. 41.

Mos. 189 sqq. (Zingerlius iam contulit):

‚Illa fruenda palam species, cum glaucus opaco
Respondet colli fluvius. Frondere videntur
Fluminei latices et palmite consitus amnis.
Quis color ille vadis, seras cum protulit umbras
Hesperus, et viridi perfundit monte Mosellam?'

Stat. silv. I., 3, 17 sqq.:

‚Nemora alta citatis
Incubuere vadis; fallax responsat imago
Frondibus, et longas eadem fugit unda per umbras.'

Praeterea cf. silv. II, 2, 48:

‚Cum iam fessa dies et in aequora montis opaci
Umbra cadit' —

Mos. 240 sqq.:

‚Iam vero accessus faciles qua ripa ministrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo.
Heu male defensos penetrali flumine pisces!'

Statius silv. III, 2, 86 de Scylla dicit:

‚Nam torva Charybdis
Fluctuet aut Siculi populatrix virgo profundi.'

De delphino pisces scrutanti Theb. IX., 243 hos versus legimus, quos Ausonius fortasse respexit:

‚Qualis caeruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quotiens devexa profundi
Scrutantem delphina vident' —

Cf. etiam Stat. silv. III, 1, 84.

Mos. 285 sq.:

‚Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
Amnis; et alternas comunt praetoria ripas.'

Stat. silv. I., 3, 24 sq.

‚Litus utrumque domi nec te mitissimus amnis
Dividit. Alternas servant praetoria ripas.'

Mos. 287 sq. (Zingerlius iam contulit):

‚Quis modo Sestiacum pelagus Nepheleidos Helles
Aequor; Abydeni freta quis miretur ephebi.'

Stat. silv. I, 3, 27 sq.

‚Sestiacos nunc fama sinus pelagusque natatum
Iactet et audaci iunctos delphinos ephebo'.

Mos. 290 sq.

‚Regis opus magni, mediis Euripus ubi undis
Europaeque Asiaeque vetat concurrere terras?'

Eadem sententia pronuntiata est Stat. Ach. I, 409 sq.

‚Sed procul admotae, Phryxi qua semita iungi
Europamque Asiamque vetat' —

Mos. 296: ‚Et voces et paene manus.' Zingerlius cum Stat. silv. I., 3, 31 comparavit. Sed iam qui antecedunt versus (Mos. 292 sqq.) Ausonius ex Statio (silv. I, 3, 29 sqq.) mutuatus est.

Mos. 292 sqq.:

‚Non hic dira freti rabies, non saevus furentum
Proelia Caurorum. Licet hic commercia linguae
Iungere et alterno sermonem texere pulsu
Blanda salutiferas permiscent litora voces
Et voces et paene manus. Resonantia utrimque
Verba refert, mediis concurrit fluctibus echo.'

Stat. silv. I, 3, 29 sqq.:

‚Hic aeterna quies, nullis hic iura procellis
Nunquam fervor aquis. Datur hic transmittere visus
Et voces et paene manus.'

Ubi de aedificiis ad Mosellam sitis Ausonius loquitur, quae quo magis efferat cum operibus quibusdam artificum Graecorum eodem fere modo quo Statius comparat.

Mos. 307 sqq.:

‚Hic clari viguere Menecratis artes
Atque Ephesi spectata manus; vel in arce Minervae
Ictinus' —

Stat. silv. I, 3, 47 sqq.:

‚Vidi artes veterumque manus —
— — — — — — — — — — —
Quidquid et argento primum vel in aere Myronis
Lusit et enormes manus est experta colossos.'

Mos. 329:

‚Sublimique minans irrumpit in aethera tecto.'

Similiter claudit Stat. silv. I, 3, 82:

‚Qui nunquam vacui prodistis in aethera rami.'

Stat. silv. I., 3, 43:

‚An quae graminea suscepta crepidine fumant
Balnea' —

Ausonius Mos. 337 ita mutavit:

‚Quid quae substructae crepidine fumant
Balnea' —

Similiter Stat. silv. II, 2, 17:

‚Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea' —

Mos. 338 sqq.:

‚ferventi cum Mulciber haustus operto
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas
Inclusum glomerans aestu expirante vaporem'

(Mulciber hoc loco pro igne positus est.)

Neque aliter Statius silv. I, 5, 58 sq.:

‚ubi languidus ignis inerat
Aedibus et tenuem volvunt hypocausta vaporem.'

Mos. 345 (Zingerlius iam contulit):

‚Quod si Cumanis huc afforet hospes ab oris'

debetur Stat. silv. I, 5, 60:

‚Nec si Baianis veniat novus hospes ab oris.'

Homeri et Vergilii una mentionem facit Ausonius Mos. 376:

‚Quod si tibi dia Mosella
Smyrna suum vatem vel Mantua clara dedissent.'

Cf. Stat. silv. IV, 2, 9.

Ex reliquis carminibus etiam hi loci mihi enumerandi sunt:

Auson. Griph. 85:

‚Et tris fatidicae nomen commune Sibyllae.'

Stat. silv. III., 5, 95 verba ‚fatidicae Sibyllae' eosdem pedes hexametri servant.'

‚Enthea fatidicae seu visere tecta Sibyllae.'

Auson. Eclog. 31 sq.:

‚Huc illud quod legitimos Lucina labores
Praevenit et gravidos sentit subrepere nixus.'

Statius cons. ad Claudium Etruscum v. 122 sq. de Lucina:

‚Quippe bis ad partus venit Lucina manuque
Ipsa levi gravidos tetigit fecunda labores.'

Auson. Epist. IV., 30:

‚Stringere fulmineo venabula cominus hosti.'

Stat. Theb. IV., 323:

‚Dum premis obnixo venabula cominus apro.'

Claudian. Theod. cons. 295:

‚qui colla ferarum
‚Arte ligent certoque premant venapula nisu.'

Auson. Epist. IV., 43:

‚Caesariem rutilam per candida colla refundis.'

Stat. Theb. V., 220 sq.:

‚Quod te, flave Cydon, quod te per colla refusis
Intactum, Crenaee, comis.'

Praeterea addere mihi liceat:

Auson. Parent. IX., 14 sq.:

‚Quoque magis solus, hoc — maestus ago
— muta domus silet et torus alget.'

Stat. silv. II, I, 67 sq.:
,Muta domus — desolatique penates,'
Et situs in thalamis et moesta silentia mensis.

Auson. Prof. XVII., 4 dictio ,copia fandi' mihi obviam ivit, qua primus Vergilius Aen. I. 520[1]) usus est:
,et coram data copia fandi'
et Aen. XI, 278:
,semper tibi copia fandi.'
Illam dictionem Papinius quoque recepit silv. V., 5, 49:
,et copia fandi
Nulla mihi' —
ac silv. II., 4, 16:
,quis nobile fandi
Jus natura dedit' —
cf. Anthol. Latin. (Riese) XI, 45.

Auson. Idyll. XVI. 7 claudit: sub sidere cancri' cuius hexametri clausulae Vergilius auctor est. cf. eclog. X. 68. Statius Theb. IV. 776 mutavit illam clausulam in ,sub limite cancri'.
cf. Anthol. Latin. (Riese) 644. 7.

Auson. clar. urb. XIV, 6: ,Non pudor hinc nobis'
Stat. silv. III., 3, 42. ,Nec pudor iste tibi.'

Proximus, quem attingam, Paulinus Nolanus est, cuius ex carminibus unum solum versum, qui ad Statium referendus est, eruere mihi contigit, dico v. 116 carm. X. (Mign. patrol. vol. LXI):
,Irrita ventosae rapiunt haec vota procellae.'
Stat. Ach. II, 286:
,Irrita ventosae rapiebant verba procellae'
quem versum Paulinus paene ad verba expressit, nisi forte putas Paulinum Catulli VI, 59:
,Irrita ventosae linquens promissa procellae:'
imitatum esse, de quo cf. infra Stat. Ach. II, 286.

Una cum Statio Paulinus ex Vergilio mutuatus est carm. XVIII, 333 sq.:
,resonant plangore silentia noctis
Questibus, et magnis late loca sola resultant'.

[1]) cf. Luehr. p. 29.

Stat. Theb. II., 714:
,oranti nox et iuga longa resultant.'
Verg. Aen. V, 150:
,pulsati colles clamore resultant.'

Paulin. carm. XXI., 446:
,Quis nisi tu, semper mea magna potentia, Felix.'
Stat. silv. I., 2, 137:
,Sed dabitur iuveni, cui tu, mea summa potestas,
Nate, cupis' —
Ovid. met. V., 90:
,Arma manusque meae, mea, nate, potentia dixit.'
Anthol. Latin. (Riese) p. LXVII., 28.
Omnes illi versus Verg. Aen. I., 664 debentur:
,Nate, meae vires, mea magna potentia solus.'

Iam ad Claudianum perveni, de quo Statii imitatore praeter Gramlewiczium[1]) et Jeepium nemo adhuc accuratius quaesivit. Itaque haud supervacaneum putavi denuo in Claudiani carmina inquirere, quod non frustra successit, cum etiam alios locos atque ab illis prolatos investigarem, quos Claudianus ex Statii carminibus petivit.

Comparatio de gruibus sedes mutantibus, quae apud Claudianum Bell. Gildon. 474 sqq.[2]) est, ex Stat. Theb. XII., 515 sqq.[3]) fluxisse videtur. Quod ut melius intellegatur utriusque poetae comparationem audiamus.

Claudianus comparationem ita conformavit:
,Pendula ceu parvis moturae bella colonis
Ingenti clangore grues aestiva relinquunt
Thracia cum tepido permutant Strymona Nilo.'
Statii comparatio est haec:
,Ceu patris super alta grues Aquilone fugatae
Cum videre Pharon; tunc aethera latius implent
Tunc hilari clangore sonant; iuvat orbe sereno
Contempsisse nives et frigora solvere Nilo.'

---

[1]) cf. Jeep. praef. ad ed. Claudian. carm. vol. II. p. LXXVII. sqq. (Stephanus Gramlewicz eos locos Claudianeos, quos cum Statianis composuit, Jeepio in usum editionis Claudian. commisit.)
[2]) In Claudian. locis enumerandis L. Jeepii editionem sequor 2 voll. Lips. 1879.
[3]) cf. Stat. Theb. V., 11 sqq.
Qualia trans Pontum Phariis defensa serenis Rauca Paraetonio decedunt agmina Nilo Cum fera ponit hiems: illae clangore fugaci Jam Borean imbresque pati, iam nare solutis Amnibus et nudo iuvat aestivare sub Haemo'. ac Verg. Aen. VI., 311 sqq. et X., 264 sqq.

De Amphione, qui lyrae carminibus ad muros Thebanos aedificandos saxa duxisse dicitur, Claudianus hos versus affert (cons. Stilic. II., 170 sq.):

‚quibus haud Amphiona quisquam
Praeferat Aonios meditantem carmina muros.'

quibus fortasse Stat. Theb. II., 454 sq. ei obversabantur:

‚aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat.' —

De rapt. Pros. II., 322 sqq. (Ieepius v. 322 sq. tantum contulit) Claudianus ex Stat. Theb. II., 227 sqq. mutuatus est:

‚Reginam casto cinxerunt agmine matres
Elysiae teneroque levant sermone timores
Et sparsos religant crines et vultibus addunt
Flammea sollicitum praevelatura pudorem.'

Stat. Theb. II., 227 sqq.:

‚Casta matres cinxere corona
Argolides, pars virginibus circum undique fusae
Foedera conciliant nova solanturque timorem
Ibant insignes vultuque habituque verendo
Candida purpureum fusae super ora ruborem[1])
Deiectaeque genas.'

De rapt. Pros. III., 263 sqq.:

‚Arduus Hyrcana quatitur sic matre Niphates
Cuius Achaemenio regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques; fremit illa marito
Mobilior Zephyro totamque virentibus iram
Dispergit maculis iam iamque hausura profundo
Ore virum vitreae tardatur imagine formae.'

Similis comparatio est Stat. Theb. II., 128 sqq.:

‚Qualis ubi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas somnosque excussit inertes
Bella cupit laxatque genas et temperat ungues
Mox ruit in turmas natisque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum: sic excitus ira
Ductor in absentem consumit proelia fratrem.'

(v. 132 sq. Statius Vergilio debet Aen. IX., 62 sq.:

‚ille [lupus] asper et improbus ira
Saevit in absentes.')

Cf. etiam Stat. Theb. IV., 315, cuius loci iam Ieepius mentionem fecit:

‚raptis velut aspera tigris
Praedatoris equi sequitur vestigia.'

---

1) Nonnulli codices: pudorem.

et Ovid. met. XIII., 547 sq.[1]) ad quem Statii versus reducendi sunt:

‚Utque ferit catulo lactente orbata leaena
Signaque nacta pedum sequitur, quem non videt hostem.'

neque aliter Dracont. VIII., 580 sq.:

‚Raptoris sectatur iter, vestigia sollers
Insequitur praedonis equi sessoris anheli.'

In Olyb. et Prob. cons. 64 sq.:

‚vos nulla fatigat
Cura diu maiora petens.'

Stat. Ach. I, 217 sp.:

‚tristemque fatigat | Cura deam.'

In Olyb. et Prob. cons. 141:

‚si vera manet reverentia nostri,'

Stat. Theb. XI, 467:

‚Nil iam ego per populos, nusquam reverentia nostri.'

In Olyb. et Prob. cons. 255:

‚Alpinasque bibunt de more pruinas.'

atque in Eutrop. I, 247:

‚Caucasias captiva bibunt armenta pruinas.'

Similiter claudit Stat. Theb. VIII, 359:

‚Nilus et Eoas magno bibit ore pruinas.'

In Rufin. II, 135 sq.:

‚quid fulvi vasta metalli
Congeries quid purpureis effulta columnis.'

Stat. silv. III, 1, 5:

‚Sed nitidos postes Graisque effulta metallis
Culmina' —

ac Theb. I, 144 sq.[2]):

‚Et nondum crasso laquearia fulta metallo
Montibus aut alte Graiis effulta nitebant
Atria' —

In Rufin. II, 450:

‚Et qui Sidonio velari creditus ostro.'

Stat. silv. V, 1, 225:

‚Hic te Sidonio velatam molliter ostro.'

---

1) Coripp. Joh. V., 713 sqq. ‚Mater ut Hyrcanos catulis furit orba per agros Tigris anhela suis, raptos quos forte cubili Caucasio subtraxit eques.' —

2) Avien. descr. orb. terr. 376 sqq.
‚Templa Sinopaei Jovis adstant nixa columnis, Divite saxorum circumvestita metallo, Auro fulta gravi, niveo radiantia dente' et infra Claudian. de bell. Pollent. 223.

III. cons. Honor. 43:
‚Et cruda teneras exercuit indole vires'
Stat. Ach. I, 276:
‚Nutritorque ingens et cruda exordia magnae
Indolis' —

III. cons. Honor. 59 sqq.:
‚Hos tibi virtutum stimulos, haec semina laudum
Haec exempla dabat. Non ocius hausit Achilles
Semiferi praecepta senis' —

Statii versus de Achille a Chirone educato Claudianus in animo habuisse videtur (Ach. II, 375 sq.).
‚Quae solitus laudum tibi semina pandere Chiron
Virtutisque aditus' —

IV. cons. Honor. 142: ‚quanti per inane volatus?' ac Stat. Theb. I, 310: ‚sublimes — per inane volatus', cf. cum Ovid. met. IV, 717: ‚praeceps per inane volatu' et Prudent. Perist. XI, 138.

IV. cons. Honor. 281 sqq.:
‚Non sic excubiae, nec circumstantia pila
Quam tutatur amor. Non extorquebis amari.
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.'

Claudianus certe cogitavit de illis versibus Statii, quibus de rege, cuius atria semper ab armatis custodiuntur, haec dicta sunt (Theb. I, 147 sqq.):
‚Non impacatis regum advigilantia somnis
Pila, nec alterna ferri statione gementes
Excubiae'

IV. cons. Honor. 464 sq.:
‚Et puer Isthmiaci iam pridem litoris exul
Secura repetit portus cum matre Palaemon'[1])
Stat. silv. II, 1, 179 sq.:
‚Talis in Isthmiacos prolatus ab aequore portus
Naufragus imposita iacuit sub matre Palaemon.'
cf. Ovid. met. IV, 541 sq.

Praef. in epithal. de nupt. Honor. et Mar. I:
‚Surgeret in thalamum ducto cum Pelion arcu'
affero ob Stat. Ach. I, 107 in eadem verba desinentem:
‚et longo suspendit Pelion arcu'.

[1]) De hexametri clausula cf. etiam Stat. silv. III., 2, 39.

Epithal. Honor. et Mar. 20 sq.:
‚Hoc etiam queritur secum: Quonam usque verendus
Cunctatur mea vota socer?'
Stat. Ach. I., 624 sq.:
‚Haec secum: Quonam timidae commenta parentis
Usque feres?'
Cf. Stat. Theb. I., 215. VII., 781.

Epithal. Honor. et Mar. 72 ac Stat. silv. I, 2, 64 verba ‚pharetrati fratres', quae de amoribus intellegenda sunt, eosdem hexametri pedes servant.

Epital. Honor. et Mar. 156:
‚Cadmeia ludit
Leucothoe frenatque rosis delphina Palaemon.'
Stat. Theb. IX., 331:
‚Cum remeat tardumque ferit delphina Palaemon.'

Epithal. Honor. et Mar. 279:
‚in medios ibis regina Sicambros'.
Eadem dicendi ratio Stat. Theb. II., 362 mihi occurrit:
‚et geminas ibis regina per urbes'.

De Manl. Theod. cons. 61.:
‚Postquam parta quies et summum nacta cacumen'
Jeepius contulit cum Verg. Aen. 7, 598:
‚Nam mihi parta quies'
neque tamen omittere debuit Stat. Theb. I., 211[1]).
‚Postquam iussa quies siluitque exterritus orbis.'

In Eutrop. II., 167:
Telum ingens nullique deo iaculabile torsit.'
Stat. Theb. VIII., 684:
‚Telum ingens avide et quanto non ante lacerto
Impulit' —

De cons. Stilich. II., 333:
‚Tincta simul repetito murici fila'.

Zingerlius (Zu späteren etc.) I, p. 53 complures versus quibus ablativus vocis ‚muricis' pedem quintum hexametri tenet, enumeravit, quibus alios addam.
Stat. Theb. IX., 690:
‚saturatam murice pallam'.

[1]) Coripp. Laud. Justin. III., 62 ‚Postquam facta quies' — et Anthol. Latin. (Riese) XVI., 63 ‚Vobis parta quies' — atque XVII., 248 ‚Nam mihi parta quies.' —

Ovid. met. XI., 166:
‚Verrit humum Tyrio saturata murice palla.'
Mart. V. 23, 5:
‚vel murice tincta | Veste nites.'
Epigr. VIII., 58, 4 Martialis ne eodem exitu quo V., 23, 5 uteretur verba transmutavit: ‚saturatas murice vestes'.
Cf. Tibull. III., 3, 18:
‚Tinctaque Sidoneo murice lana iuvat.'

De cons. Stilic. II., 467:
‚et gravidis allatret Sirius uvis'.
Stat. silv. I., 3, 5 similiter Sirius ‚latrare' dicitur:
‚Illum nec calido latravit Sirius astro.'

De cons. Stilic. III., 150:
‚Haec est in gremium victos, quae sola recepit.'
quae eadem verborum conformatio Stat. silv. III., 3, 168 invenitur [1]):
‚Haec est, quae victis parcentia foedera Cattis
— donat' —
De cons. Stilic. III., 197:
‚Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu.'
Stat. silv. IV., 6., 34:
‚nec longo satiavit lumina visu.'

De bello Pollent. 1 sq.:
‚Intacti cum claustra freti coeuntibus aequor
Armatum scopulis audax irrumperet Argo.'
Theb. V., 335 sq.:
‚Ecce autem aerata dispellens aequora prora
Pinus intacti late subit hospita ponti.'
Utroque loco mare intactum appellatur, quod antequam Argo navis id intrasset inviolatum fuit.

De bello Pollent. 223:
‚Fultaque despiciens auro laquearia dives.'
Stat. Theb. I., 144:
‚Et nondum crasso laquearia fulta metallo.'
cf. praeterea Stat. silv. III., 3, 103, IV., 3, 21 et Apollin. Sidon VII., 22 (Sirmond. V., 22):
‚videas hic crasso fusa metallo
Antra.'

---

[1]) Pari modo Coripp. Joh. IV., 452
‚Haec est, quae geminas franget victoria partes.

De bello Pollent. 262:
‚Sed malus interpres rerum metus omne trahebat'
quod quidem ad sensum attinet comparetur cum Stat. Theb. III., 6:
‚Pessimus in dubiis augur timor.'

De bello Pollent. 380[1]):
‚Tantane vos, inquit, Getici fiducia belli
Erigit?'
Stat. Theb. VI., 264:
‚tantique iuvat fiducia belli.'

Epithal. Pall. et Celer. vestigia quaedam Statiana deprehendi, quae revocanda sunt ad Statii epithal. Stellae et Violantillae.
Primi versus Claudianei epithalamii leguntur:
‚Forte Venus blando quaesitum frigore somnos
Vitibus intexti gremio successerat antri
Densaque sidereos per gramina fuderat artus
Acclinis florum cumulo' —
Statii epithalamium inchoat ab his versibus (51 sqq.):
‚Forte serenati qua stat plaga lactea coeli
Alma Venus thalamo pulsa modo nocte iacebat
Amplexu duro Getici resoluta mariti.'
Tum accedant v. 59: ‚Fusa iacet stratis' et v. 140:
‚Sic fata levavit | Sidereos artus'
v. 110 sqq. Epithal. Pall. et Celer:
‚Laetantur Amores
Frenatisque truces avibus per nubila vecti
Ostentant se quisque deae.'
Stat. epithal. 141 sqq.:
‚thalamique egressa superbum
Limen Amyclaeos ad frena citavit olores
Iungit Amor laetamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet.'

De rapt. Pros. I., 130:
‚Iam vicina toro plenis adoleverat annis
Virginitas.'
Ieepius recte revocavit ad Verg. Aen. VII., 53 (praef. vol. II. p. CXXIX.)[2]):
‚Iam matura viro plenis iam nubilis annis'
cf. Stat. Ach. I., 292.

---

[1]) Propius accedit Claudiani versus ad Verg. Aen. I., 132
‚Tantane vos generis tenuit fiducia vestri.'
[2]) cf. Anthol. Latin. (Riese) 719, 11
‚Virgo matura fuit iam plenis nubilis annis.'

De v. 147 Laud. Ser. cf. eos versus, quos cum Auson. Mos. 376 contuli.

Nunc versus complures, quos aeque ineuntes et claudentes apud Statium legimus, enumerabo.

In Rufin. I., 259: At non magnanimi virtus. —
Stat. Theb. V, 653: At non magnanimo pietas —
de IV cons. Honor. 527: vel cum Gortynia tendis
Spicula. —
Stat. Theb. V., 361: quantum Gortynia currunt
Spicula. —
In Eutrop. I., 95: Stat tamen atque
Stat. Theb. IV., 31: Stat tamen et
In Eutrop. I., 350: Atque aliquis gravior morum.
Stat. Theb. IV., 824: Atque aliquis regum.
In Eutrop. I., 455: Integer et sola formidine saucius.
Stat. silv. II., 1, 156: Integer et nullo temeratus — damno
De rapt. Pros. II., 6:
‚Sic Parcae voluere' —
(Ieepius: iussere.)
Stat. Theb. IV., 780[1]):
‚Sic Parcae voluere.'
De Manl. Theod. cons. 249:
‚quae dissona rita Barbaries'
Stat. Theb. IV, 299:
‚gens una viris, sed dissona cultu.'
De rapt. Pros. III., 326:
‚Impius errantem videat per rura, per urbes.'
Stat. silv. III., 5, 7:
‚Quattuor emeritis per bella, per aequora lustris
Errarem'.
Claudian. carm. min. XXX, 35:
‚complexibus ambit.'
Stat. Theb. VII., 498:
‚amplexibus ambit.'
In Rufin. I., 117:
‚Porrexere manus.' —
Stat. Theb. IV., 353:
‚Promisere manus.' —
In Rufin. II., 25[2]):
‚glomerantur in unum
Innumerae pestes.'
Stat. Theb. II., 585:
‚densi glomerantur in unum,
Ogygidae.'

[1]) Verg. Aen. I, 22 — sic volvere Parcas.
[2]) Videre licet quantum Claudianus in omnibus his versibus verbis eandem collocationem concedere studuerit quam apud Statium tenent.

Ovid. met. XIII., 604:
‚glomerataque corpus in unum
Densetur.'
De nupt. Honor. et Mar. 77:
‚nec cetera numina desunt.'
‚Stat. Theb. V., 109:
‚nec numina desunt.'

Stat. Theb. IV., 239: ac Claudian. de rapt. Pros. II., 60: Alpheus fluvius ‚advena' appellatur, quod Arethusae amore inflammatus subter mari usque ad illam, quae in Ortygia insula erat, fluxisse eique mistus esse dicitur.

Haec exempla habui, quae proferrem quibusque Statium Claudiano imitationi fuisse iam satis me demonstrasse itaque quaestiones Claudianeas amplificasse et promovisse confidam.

Iam ad eos poetas accedam, qui saeculo quinto pleno turbarum et Italiae toti funesto vigebant. Ardor et studium artium liberalium gentibus barbaris in Italiam irrumpentibus paene extincta fuerunt, res publica Romana magis magisque perniciei occurrit. Quibus tam turbulentis temporibus poetas fuisse, qui carminibus compositis omnium studia sibi vindicarent eo magis nobis mirandum est. Quorum in numero praeter Claudianum qui et saeculo quarto vigebat Rutilius Namatianus est, cuius in carmine, quod inscribitur ‚itinerarium', suavitatem quandam et amoenitatem inesse vix quisquam negaverit. Eo magis nobis dolendum est, quod initium libri primi et libri alterius maxima pars perierint. Namatianum praeter poetas Augusteae aetatis Statium quoque memoria tenuisse nos versus 326 sq. docent, qui leguntur:

‚Haec proprios nuper tutata est insula saltus
Sive loci ingenio seu domini genio.'

Quis obtutu primo non meminerit Stat. silv. II., 2, 44 sq.[1]):

‚Quae rerum turba! locine
Ingenium an domini mirer prius?'

Namat. 167:
‚Iamque aliis Romam redeuntibus haeret eunti.'
Fere idem exitus versus est Stat. Ach. I., 345[2]):
‚redit comes haeret eunti.'
Cf. Stat. Theb. V., 98 et Verg. Aen. VI., 350.

---

[1]) cf. Apollin. Sidon. praef. epithal. Ruric. et Iber. dict. v. 20 sq. et epist. I., 9, ‚Sed. inter hos quoque, quamquem stupendi, tamen varii mores, et genii protius quam ingenii similitudo.'
[2]) cf. Mart. epigr. III., 91, 3.

Namat. I., 277:
‚Roscida puniceo fulsere crepuscula caelo.'
Stat. Theb. I., 342 sqq.:
‚Sed nec puniceo rediturum nubila caelo
Promisere iubar nec rarescentibus umbris
Longa repercusso nituere crepuscula Phoebo.'

Namat. I., 426:
‚Provecta est animae portio magna meae'
et 493:
‚Victorinus enim nostrae pars maxima mentis'
comparentur cum Hor. carm. I., 3, 8:
‚et serves animae, dimidium meae.'
Stat. silv. III., 2, 7:
‚atque animae partem super aequora nostra
Maiorem transferre parat.' —
Alios locos similes Burmannus ad Namat. l. adnotavit.[1])

Namatianus I., 625 sqq., ubi de apro Calydonio cogitat ac Meleagri mentionem facit vix Stat. Theb. II., 469 sqq. respexit. Sed opportunitate data commemorare mihi liceat Statio in illis versibus Ovidium esse observatum. Nam apud Ovidium legimus met. VIII., 278:
‚infestae famulus vindexque Dianae Oeneae'
apud Statium (Theb. II., 469):
‚Oeneae vindex sic ille Dianae.'
Ovid. VIII., 419:
‚Splendidaque adversos venabula condit in armos.'
Stat. Theb. II., 475:
‚cuspide lata
Haesit et obnixo ferrum laxavit in armo.'

Merobaudis rhetoris Hispaniensis carmina, quae reliqua sunt, casu magis quam consilio in manus meas pervenerunt. Inveni enim ea cum Corippi carminibus, quae percensere in animo habui, coniuncta in vol. 28 corp. script. hist. Byzantin., quod Immanuel Bekkerus Bonnae 1836 in lucem emisit. Primum vero Merobaudis carmina cursim tantum legi, deinde cum carmine quarto, quo alter dies natalis filii Aetii Patricii celebratur, vestigia Statiana deprehendissem, accuratius in Merobaudem et imprimis in carmen illud inquisivi, quod fere totum ex Statii silv. II., 7[2]) compositum esse

---

[1]) cf. etiam Auson. epigr. 105, 7.
[2]) Statii carmen inscribitur ‚genethliacon Lucani'. Vide Statii praef. ad silv. II.

repperi. Merobaudes etiam metrum retinuit, quod Statius adhibuit. Sed iam singula videamus.
Merob. 4:
‚Infusi bibit aetheris vigorem'.
Stat. silv. II., 7, 4:
‚Pendentis bibit ungulae liquorem'.
Merob. 5:
‚Omnes nunc Latiae favete, Musae'.
Stat. 20:
‚Vestra est ista dies, favete, Musae'.
Merob. 6:
‚Omnes nunc Latiae virite silvae'.
Stat. 13:
‚Et plus Aoniae virete silvae'.

Merob. 7 sqq:
‚Vernent limina, laureisque sertis
Inserpant hederae vagante nexu,
Exultet placido tumore Tibris.'
Stat. 10 sqq.
‚Crinem comite, candidamque vestem
Perfundant hederae recentiores.
Docti largius evagentur amnes.'
Similiter Claudianus amnes doctos vocat, quod literarum inspirationem efficere dicebantur, Theod. cons. 272 sq.:
‚fluxitque Aganippe
Largior et docti rubuerunt floribus amnes.'

Merob. 29 sq.:
‚His te primitiis, puer, sacratum
Excepit gremio micante Roma.'
Stat. 36 sqq.:
Natum protinus atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagiente
Blando Calliope sinu recepit.'

Ex carm. V. hos locos affero.
Merob. V., 106 sqq.:
‚Aëtium coniunctus amor populique patrumque
Et procerum mens omnis habet; nec dicere mussant
Reppetiere palam iam quod sententia mundi
Cunctorumque fides nullis auctoribus ambit.'
Stat. Theb. III., 92 sqq.
‚Excussae procerum mentes turbataque mussant
Concilia: ast illum coniunx fidique parentes
Servantem vultus et torvum in morte peractum'.

Merob. V., 135:

,Rex ipse verendum
Miratus pueri decus et prodentia fatum
Lumina.'

Stat. silv. III., 4, 31:

,Miratus puerile decus vultumque comasque
Adspiciens.'

Merob. V., 139 ac Stat. Theb. VIII., 399 incipiunt a verbis ,Ense minax.'

Acedentem ad Apollinaris Sidonii carmina magna me tenuit spes fore ut ex carminibus eius cum Statianis componendis fructus uberrimos quaestionum harum perciperem. Neque opinio me fefellit. Nam iterum ac saepius Sidonii carmina perlegenti permulta mihi occurrerunt, quae Statio debentur. Imprimis vero Sidonius imitatur Statium in epithalamio Ruricio et Iberiae dicto, quo ad Statii epithalamium Stellae et Violantillae quam artissime se applicavit[1]). Quae cum ita sint, paucis conferamus utriusque poetae epithalamium. Statius, qui ad fabulam producendam more poetico evagatus est, narrationis initium capit a v. 51, Venerem ab Amoribus circumdatam inducens.

Cf. Sidonii epithalam. v. 34 sqq.

Amorum pulcherrimus Veneri de Stellae amore narrat simulque eam orat, ut amanti faveat v. 61—102. Similiter apud Sidonium Amor pulcherrimus Ruricium Iberiae amore esse inflammatum Veneri refert. v. 50—71.

Tum ad Amoris verba respondens simulque pollicens se Stellam amantem, adiuturam esse Venus fingitur a Statio v. 105—140. Cf. Sidon. epithal. v. 72 sqq. Cum Sidonius sponsorum thalamos Venerem petentem eosque ominibus bonis prosequentem faciat (v. 111 sqq.). Statius copiosius de Stellae et Violantillae nuptiis loquitur ad quas celebrandas Apollo et Bacchus accurrissent. (cf. Sidon. v. 116 sqq.). Nunc ad singula aggrediamur.

Sidon. 42:

,Pone subit turmis flagrantibus agmen Amorum.'

Stat: 54.

,Fulcra torosque deae tenerum premit agmen Amorum.'

---

[1]) cf. M. Fertig. C. S. Apollinaris Sidonius und seine Zeit, Passau 1878 p. 15, ubi ita disserit: „Die Entwürfe zu Werken, die Ausführung einzelner Teile, ja Wendungen, Bilder, Redensarten, werden entlehnt. Sidonius hält sich an Claudian im Bau seiner Panegyrici, an Statius in beschreibenden und Hochzeitsgedichten, an Ausonius in der Kunstfertigkeit eine Reihe Sprüche oder Characterzüge von Göttern, Helden und Weisen in ein bestimmtes Metrum zu giessen etc.

Sidon. 50 sqq.:

,Solus de numero fratrum, qui pulchrior ille est,
Deerat Amor, dum festa parat celeberrima Gallis
— — — — — — — — — —
Sed fulsit ut ille
Forte dies, matrem celeri petit ipse volatu
Cuius fax, arcus, corytus pendebat. at ille
Cernuus et laevae pendens in margine palmae
Libratos per inane pedes adverberat alis
Oscula sic matris carpens somnoque refusae
Semisopora levi scalpebat lumina penna
Tum prior his alacer coepit.'

Stat. 61 sqq.:

,Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore manuque levi nunquam frustrata sagitta
Agmine de medio tenera sic dulce profatus
Voce' —

ac v. 103 sqq.:

,Dixerat et tenera matris cervice pependit
Blandus et admotis tepefecit pectora pennis.'

Apollin. 105 sqq.:

,Misit et hoc munus tepidas qui nudus Erythras
Concolor Aethiopi vel crinem pinguis amomo
Fluxus adoratis vexat venatibus Indus
Illa tamen pasci suetos per Cypron olores
Vittata stringit myrto, quis cetera tensis
Lactea puniceo sinuantur colla corallo.'

Stat. 110 sqq.:

,Excepi fovique sinu: nec colla genasque
Comere nec pingui crinem deducere amomo
Cessavit mea, nate, manus' —

atque v. 140 sqq.:

,thalamique egressa superbum
Limen Amiclaeos ad frena citavit olores.'

Apollin. 111 sqq.:

,Ergo iter aggressi: pendens rota sulcat inanem
Aera et in liquido non solvitur orbita tractu
Hic triplex uno comitatur gratia nexu
Hic redolet patulo fortunae copia cornu
Hic spargit calathis, sed flores Flora perennes
Hic Cererem Siculam Pharius comitatur Osiris
Hic gravidos Pomona sinus pro tempore portat
Hic Pallas madidis venit inter praela trapetis

Hic distincta latus maculosa nebride Thyas
Indica Echionio Bromii rotat orgia thyrso
Hic et Sigaeis specubus qui Dindyme luat
Iam sectus recalet Corybas, cui gutture ravo
Ignem per bifores regemunt cava buxa cavernas.'

Bacchum et Apollinem ad Stellae nuptias venisse Statius v. 219 sqq. ait:

,At procul ut Stellae thalamos sensere parari
Latous vatum pater et Semeleius Evan
Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa
Huic Lycii montes gelidaeque umbracula Thymbrae
Et Parnasus honor: illi Pangaea resultant
Ismaraque et quondam genialis litora Naxi
Tunc caras iniere fores, comitique canoro
Hic chelyn, hic flavam maculoso nebrida tergo
Hic thyrsos, hic plectra ferunt. Hic enthea lauro
Tempora, Minoa crinem premit ille corona.'

Apollinarem illis versibus Papinium imitatum esse et rem plus illo exornavisse apparet.

Ex ceteris Apollinaris Sidonii carminibus hi loci cum Statianis mihi conferendi esse videntur:

Apollin. I., 47 sqq.[1]) (Sirmond: IX., 47 sqq.):

,Non prolem Garamantici Tonantis
Regnis principibusque principantem
Porrectas Asiae loquar paternae
Actam fulmine pervolasse terras.'

Stat. silv. II., 7, 93 sqq.:

,Sic natum Nasamonii Tonantis
Post ortus obitusque fulminatos
Angusto Babylon premit sepulcro.'

Sub Nasamonii (Garamantici) Tonantis filio sane Alexander intellegendus est, qui sese Iovis Ammonis esse filium gloriabatur.

Apollin. I., 115 sqq.:

,Nec Phryx pastor erit tibi legendus
Decrescens cui Dindymon reciso
Fertur vertice texuisse classem.'

Stat. silv. I., 1, 8 sqq. de equo Troiano ab Epeo aedificato haec dicit:

,Nunc age, fama prior notum per saecula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
Dindymon et caesis decrevit frondibus Ida.'

---

[1]) In enumerandis locis sequor editionem quam Eugenius Baret Paris 1879 curavit.

Apollin. 118 sqq.:

,Cum iussu Veneris patrocinantis
Terras Oebaliae et hospitales
Raptor depopulatus est Amyclas.'

Stat. Ach. I., 20 sq.:

,Solverat Oebalio classem de litore pastor
Dardanus incautas blande populatus Amyclas.'

Apollin. II., 1 (Sirmond. VI.) et Stat. Theb. I., 535, qui incipiunt a verbis ,Pallados armisonae' ad Verg. Aen. III., 544 revocandi sunt.

Apollin. IV., 181 (Sirmond. VII.)

,fractusque molari
Dissiluit vertex'

ob versus clausulam cum Stat. Theb. V., 386: ,fratique molares' comparetur.

Comparatio de lupis fame coactis iam stabula ipsa agressuris, quae est.

Apollin. IV., 363 sqq., fluxit ex Stat. Theb. XX., 42 sqq.

Apollinaris comparatio ita legitur:

,Raptores ceu forte lupi quis nare sagaci
Monstrat odor pinguem clausis ab ovilibus auram
Irritant acuuntque famem, portantque rapinae
In vultu speciem, patulo ieiunia rictu
Fallentes; iam iamque tener spe frangitur agnus
Atque absens avido crepitat iam praeda palato.'

Stat. Theb. X., 42 sqq.:

,Rabidi sic agmine mixto
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
Nil non ausa fames, longo tenuavit hiatu
Iam stabula ipsa premunt, torquet spe sirrita fauces,
Balatusque tremens pinguesque ab ovilibus aurae.
Quod superest, duris affrangunt postibus ungues
Pectoraque et siccos minuunt in limine dentes.'

Praeterea cf. Ach. II., 30 sqq.:

,gemini ceu foedere iuncto
Hiberna sub nocte lupi; licet et sua pulset
Natorumque fames, penitus rabiemque minasque
Dissimulant humilesque meant, ne nuntiet hostes
Cura canum et trepidos moneat vigilare magistros.'

Apud Vergilium Aen. IX., 59 sqq. similis comparatio invenitur [1]):

---

[1]) Wagnerus adnott. ad h. l. recte censet Vergilio in comparatione fingenda Hom Il. XI, 547 sqq. et XVII, 657 obversatos esse.

,Ac veluti pleno lupus insidiatur ovili
Cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent; ille asper et improbus ira
Saevit in absentis; collecta fatigat edendi
Ex longo rabies et siccae sanguine fauces.'

Apollin. IV., 484:
,prisci pignus amoris'.
Stat. silv. III., 2, 81: ,nostri pignus amoris'.

Apollin. VII., 18 sq. (Sirmond. V.):
,Ostricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat.'
Stat. Theb. IX., 694 sq.:
,tereti iuvat aurea morsu
Fibula pendentes circum latera aspera cinctus.'
Coripp. Laud. Iustin. II., 121:
,Aurea iuncturas morsus praestrinxit adunco
Fibula' —

Apollin. VII., 172:
,cum pallidus ille
Respiceret medium post se decrescere campum.'
Stat. Theb. VIII., 397:
,mediumque vident decrescere campum.'
atque Ach. I., 462:
miranturque suum decrescere montem'.

Apollin. VII., 192 sq.:
,Non sic heroum tardantem busta Creontem
Atticus Aegides rupit Marathonide quercu.'
Stat. Theb. XII., 730 respexit, ubi pariter quercus pro hasta posita est:
,Ut vero aequoreus quercum Marathonida Theseus
Extulit' —

Apollin. VII., 282 sqq.:
,Ilicet increscit Mavors, thalamique refringit
Plus ardens Bellona faces; rapit esseda victor
Nubentemque nurum.'
Stat. Theb. XI., 412 sqq.:
,nusquam inclita virtus.
Restinxit Bellona faces, longeque paventes
Mars rapuit currus' —

Apollin. VII., 301 et Stat. Theb. II., 425 desinunt in verba: ,pace sequestra', quo exitu versus iam Vergilius Aen. XI., 183 usus est.

Apoll. VII, 535:
,Lubrica praemissa firmas vestigio conto.'
Stat. Theb. II., 11:
,It tamen et medica firmat vestigia virga.'
Vide quae Gramlewiczius (quaest. Claudian. p. 14 de hisce versibus disseruit).

Apollin. XII., 161 (Sirmond. XV.) de Penelope haec dicit:
,et ipsam
Penelopen tardas texit distexere telas.'
Papinius de Penelopes textu nunquam finito, sed quotidie interrupto cogitavit silv. III., 5, 8 sq.:
,tu (Claudia) mille procos intacta fugares
Non intersectas commenta retexere telas.'
Claudian. Laus Seren. 31:
,Penelope trahat arte procos fallatque furentes
Stamina nocturnae relegens sollertia telae.'
Ovid. am. III., 9, 29 sq.:
,Durat opus vatum Troiani fama laboris
Tardaque nocturno tela retexta dolo.'
Statius fortasse Ovidii versuum memor erat pariterque Claudianus, cum verisimilius sit Apollinarem Sidonium ad Statii versum magis se applicasse. Attamen Statii v. 8 propius accedit Ovid. am. III., 4, 23:
,Penelope mansit, quamvis custode carebat,
Inter tot iuvenes intemerata procos.'
Prop. II., 9, 6 de Penelopes textu:
,Nocturno solvens texta diurna dolo.'

Danaidum quinquaginta fabulam Apollinaris XII., 166 qq. commemorans:
,Hic nox natarum Danai lucebat in auro
Quinquaginta enses genitor, quibus impius aptat
Et dat concordem discordia iussa furorem'
sine ulla dubitatione Stat. Theb. IV., 132 sqq. respexit.
,Flammeus orbis habet perfectaque vivit in auro
Nox Danai; sontes Furiarum lampade nigra
Quinquaginta ardent thalami; pater ipse cruentis
In foribus laudatque nefas atque inspicit enses.'

Carm. XIV., 1 sq. (Sirmond. XVIII.)
,Siquis Avitiacum dignaris visere nostram
Non tibi displiceat.'

Apollinaris mutuatus est ex Stat. silv. I., 5, 60 sq.
,Nec si Baianis veniat novus hospes ab oris
Talia despiciat' —

Apollin. XVIII., 68 (Sirmond. XVI.) [Euchar. ad Faust.]:
,Da Faustum laudare tuum, da solvere grates
Quas et post debere iuvat' —
Stat. silv. IV., 2, 7 (Euchar. ad German. Domit.):
,Qua celebrem mea vota lyra, quas solvere grates
Sufficiam?'

Apollin. XIX., 1 (Sirmond. XXII.):
,Bistonii stabulum regis, Busiridis aras.'
Stat. Theb. XII., 155 sq.:
,immites citius Busiridis aras
Odrysiique famem stabuli.'

Num Apollinaris Bacchum marcidum eiusque comites (XIX., 22 sqq.) describens Stat. Theb. VI., 652 sqq. respexerit diiudicatu difficile est, cum vestigia certa non deprehendantur.
Tamen comparaverim v. 31:
,Cantharus et thyrsus dextra laevaque feruntur'
cum Stat. Theb. IV., 656:
,effrenae dextra laevaque sequuntur
Lynces' —
v. 49.:
,Lampade cum solis radiis aurora rubebat'
ob verborum ,solis radiis' collocationem comparaverim cum Stat. Theb. IV., 665:
,et solem radiis ignescere ferri'.

V. 136 sqq. carm. eiusd. Apollinaris sine ullo dubio ex Statio petivit (silv. II., 2, 85 sqq.), quibus de marmoris generibus in villa Surrentina Pollii Felicis aedificata impensis loquitur:
,Hic Graiis penitus desecta metallis
Saxa: quod Eoae respergit vena Syenes
Synnade quod maesta Phrygiae fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmora picto
Candida purpureo distinguitur area gyro
Hic et Amyclaei caesum de monte Lycurgi
Quod viret et mollès imitatur rupibus herbas
Hic Nomadum lucent flaventia saxo Thasosque
Et Chios et gaudens fluctus spectare Carystos.'
Qui versus Apollinari obversabantur, ut iam supra dixi, XIX., v. 136 sqq. (quo carmine burgum Pontii Leontii celebrat):
,Ipsa (balnea) autem quantis quibus aut sunt fulta columnis?

Cedat puniceo pretiosus livor in antro
Synnados et Numadum, qui portat eburnea saxa
Collis et herbosis quae vernant marmora venis.
Candentem iam nolo Paron, iam nolo Caryston
Vilior est rubro, quae pendet purpura saxo.'
Neque aliter Papinius in ,balneo Claudii Etrusci' (silv. I., 5) v. 34 sqq.:
,Non huc admissae Thasos aut undosa Carystos
Maeret onyx longe, queriturque exclusus ophites
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiae quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis liventibus Attys
Quasque Tyrus niveas secat et Sidonia rupes.'

Apollin. Carm. XIX., v. 198 sqq.:
,strepit hic bona flamma
Appositas depasta trabes, sinuata camino
Ardentis perit unda globi, fractoque flagello
Spargit lentatum per culmina tota vaporem.'
cum Stat. I., 5, 57 sqq. conferantur:
,Quid nunc strata solo referam tabulata crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Aedibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem?'

Quod ad carmen XXII. (Sirmond. II.) attinet, quo Apollinaris Anthemium Augustum bis consulem celebrat, ex initio carminis concludi posse puto illum Statii silv. IV., 1 (XVII. consulatus Imp. Aug. Germanici Domitiani) ante oculos habuisse. Apollinaris enim panegyricus incipit ab his versibus:
,Auspicio et numero fasces, Auguste, secundos
Erige, et effulgens trabealis mole metalli
Annum pande novum consul vetus, ac sine fastu
Scribere bis fastis, quamquam diademate crinem
Fastigatus eas, humerosque ex more priorum
Includat Sarrana chlamys, te picta togarum
Purpura plus capiat.'
Stat. silv. IV., 1, 1 sq.:
,Laeta bis octonis accedit purpura fastis
Caesaris, insignemque aperit Germanicus annum.'
(Nemes. cyneg. 105 sq.:
,cum Ianus temporis auctor
Pandit inocciduum bissenis mensibus aevum.')
Apollin. v. 25 sq.:
,credet ventura propago
In nos ut possint, Princeps, sic cuncta licere

De te non totum licuit tibi: Facta priorum
Exsuperas, Auguste.'
Statius silv. IV., 1, 32 sq. fere eandem sententiam pronuntiavit:
,sed coepit sero mereri, (fasces)
Tu iuvenis praegressus avos.'

Praeterea ex hoc carmine conferantur v. 52:
,Indus odorifero crinem madefactus amomo'
cum Stat. silv. I., 2, 111.
Cum v. 109 cf. Stat. silv. II., 2, 5.
Versum 441 cf. infra cum Stat. silv. I., 4, 79.

Iam pergamus ad Blossium Emilium Dracontium cuius in carminibus permulta vestigia Statiana invenire nuperrime Conradus Rossberg in libello, qui inscribitur ,De Dracontio et Orestis quae vocatur tragoediae auctore eorundem poetarum Vergilii Ovidii Lucani Statii Claudiani imitatoribus' Nordae 1880, exemplis et ex Statio et ex Dracontio haustis explicavit simulque argumentari studuit Orestis tragoediam nulli alii nisi Dracontio esse attribuendam (cf. praef. 1 sqq. eiusdem Rossbergii libellum, qui inscribitur: ,In Dracontii carmina minora et Orestis quae vocatur tragoediam observationes criticae Stadae 1878.') Locorum a Rossbergo prolatorum sane quam plurimum ratio mihi habenda erat, etsi iam multo ante quam illius dissertatio in lucem emitteretur, plurimos quos Rossbergius comparavit versus, in schedis meis habui.
Drac. II., 12 (comp. Rossberg.):
,nec supplex improba posco.'
Stat. Ach. II., 268 [1]):
,nimis improba posco.'
Antequam et Dracontii et Statii locos conferre pergam, haud alienum a quaestionibus his esse puto commemorare Dracontium permultos locos ex Statii Achilleide mutuo sumpsisse.
Drac. II., 67 (comp. Rossberg.):
,Illi purpureus niveo natat ignis in ore.'
Statius de Achille (Ach. I., 161):
,Dulcis ad huc visu niveo natat ignis in ore
Purpureus.'
Drac. II., 21 et Stat. Theb, XI., 214 eandem fere hexametri clausulam habent ,mugire per herbas' (Stat. per undas).

Stat. Ach. II., 129 (Rossberg. contulit):
,signo
Deidamia dato cunctas hortata sorores.'

[1]) cf. Verg. Aen. VI, 66 ,non indebita posco' atque Anthol. Latin. (Riese) VIII, 81.

Drac. II., 131:
,Deiopea tamen cunctas hortata sorores.'

Stat. Ach. I, 372 incipit:
,Qualiter Idaliae volucres,' —
Stat. Theb. XII., 16:
,Idaliae volucrum' —
qui versus comparentur cum Drac. VI., 91 et VIII., 464 (Idaliae volucres).

Drac. VIII., 34:
,Solverat Iliacus caeli vadimonia pastor.'
Stat. Ach. I., 20:
,Solverat Oebalio classem de litore pastor.'
Stat. Ach. I., 1 ac Drac. VIII., 192 incipiunt a verbis: ,Magnanimum Aeaciden.'
Drac. VIII., 197:
,Sic praestat Bellona nurum, gener ipse Tonantis.'
Stat. Ach. I., 34:
,facibus de puppe levatis
Fert Bellona nurum.'
Stat. Ach. I., 67:
,temerarius arbiter Idae.'
Rossberg. contulit cum Drac. VIII., 221:
,bonus arbiter Idae.'
Stat. Ach. II., 195:
,Tu caeli pelagique nepos.'
Drac. IX., 122 (Rossberg. contulit):
,Tene deum soboles, caeli pelagique nepotem.'
Drac. X., 370:
,cui virginitas annis matura tumebat.'
Stat. Ach. I., 292:
,Virginitas matura toris annique tumentes.'
Cf. Verg. Aen. VII., 53. Claudian. carm. XXXI., 125; XXXIII., 130.

Orest. 671: ,Gaudia dant gressus' —
Stat. Ach. I. 122: ,dant gaudia vires.'

Ex silvis cum Dracontii versibus hi comparentur:
Stat. silv. I., 3, 60:
,liquidas emergis in auras'.
Drac. IV., 11:
,Nam quodcunque malum superas emergis in auras.'

Stat. silv. I., 2, 20:
‚Amplexum niveos optatae coniugis artus.'
Drac. VII., 22:
‚Vesticolae niveos peteret cum virginis artus.'
Fortasse uterque poeta Catull. LXIV., 364 respexit:
‚Excipiet niveos percussae virginis artus.'

Statii Thebaidi Dracontius debet hos locos:
Drac. II., 102 (comp. Rossberg.):
‚Haec ait: o faciles Penei numina nymphae.'
Stat. Theb. IV., 684:
‚Incipit: Agrestes fluviorum numina nymphae.'

Drac. IV., 53 et Stat. Theb. XII., 439: ‚Ignis edax' —
De Drac. V., 273 et Stat. Theb. V., 127. Cf. Verg. Aen. XII., 508, 276.
Drac. VIII., 115 (comp. Rossberg.):
‚Et vicibus cara Paridis cervice fruuntur.'
Stat. Theb. XII., 388:
‚et cara vicibus cervice fruuntur'.
Pariter Rossbergus contulit Drac. VIII., 131:
‚Sed quid fata veto, quid fixos arceo casus?'
et 152: ‚Sed quid vana cano?' — cum Stat. Theb. III., 646:
‚Sed quid vana cano, quid fixos arceo casus?'
Drac. VIII., 254:
‚Hospitis Telamon ramos frondentis olivae.'
Stat. Theb. II., 478:
‚Festinatque vias ramumque precantis olivae.
Abicit.'
Drac. VIII., 442:
‚Nuntia fama ducis totam repleverat urbem.'
Stat. Theb. VI., 1:
‚Nuntia multivago Danaas perlabitur urbes
Fama gradu' —
Drac. IX., 111 sq.:
‚Non docuit, quia maestus odor, quia putre cadaver
Aera, tellurem, ventos animasque gravabit?'
Stat. Theb. XII., 566 sq.:
‚Pabula dira ferae campumque odere volucres
Spirantem tabo et coelum ventosque gravantem.'
Drac. X., 343 sq. (comp. Rossb.):
‚Quam callide fraudem
Quodve nefas moliris? ait, non fallis amantem.'
Stat. Theb. II., 334:
‚Quos callide motus
Quamve fugam moliris? ait, nil transit amantes.'

Drac. X. 366: } ‚Ventum erat ad Thebas.'
Stat. Theb. II., 65: }
Drac. X., 441:
‚Plurimus ora tegit pendens de vertice serpens.'
Stat. Theb. IV., 555:
‚Effluit amborum geminus de vertice serpens.'
Orest. 528 cf. cum Stat. silv. II., 6, 45 [1]).

Hos locos tantum proferre mihi in animo fuit, quibus quantopere Dracontius Statii versus nonnunquam integros carminibus suis recipere studeat plane cernitur. Alios locos praecipue ex Orestis tragoedia petitos cum Statii similibus versibus Rossbergus comparavit [2]).

Iam ad saeculum sextum perveni, ex quo Corippum tantum promam, quod praeter Vergilium et Claudianum quos servili fere modo imitatur, interdum apertius Statii carmina respexit. Versus complures, quos una cum Papinio ex Vergilio mutuatus est infra occasione data commemorabo. Ac primum quidem Iohannidos libros VII percensebo.

Lib. V., 300 sqq. siccitatem, qua Romani laborabant, describens Corippus Statii Theb. V, 699 sqq., ubi Statius verba facit de siccitate, quae Argivos contra Thebas proficiscentes invasit, ante oculos habuisse videtur.

V. 305 sqq. Corippus huius siccitatis mentionem facit:
‚Ut Danaum quondam Thebanos inclita campos
Agmina cum peterent, siccatos numine Bacchi
Expavere lacus fontesque et flumina ductor
Adrastus latis sitiens quaesivit in arvis.'
Stat. Theb. IV, 699 sqq.:
‚Protinus Inachios haurit sitis ignea campos
Diffugere undae, squalent fontesque lacuspue
Et cava ferventi durescunt flumina limo.'
V. 320 sqq.:
‚Respice, magne, tuos macies iam contrahit artus
Ossaque nuda rigent siccis tenuata medullis
Stringuntur nervi, cutis aret; lumina mersa
Infectae pallore genae. Iam mortis imago
Corpora nostra tenet, sitiens et spiritus ardet.'
neque aliter Statius de magna siccitatis vi (etsi Corippus aliis verbis eam expressit) 723 sqq.:
‚Ergo nec ardentes clipeos vectare nec arctos
Thoracum nexus, tantum sitis horrida torquet

---

[1]) cf. Zingerlium. (Zu späteren etc.) 1 p. 68.
[2]) Cetera Dracontii carmina omitto, quia locos graviores, quos Dracontius Statio deberet, eruere mihi non contigit.

Sufficiunt; non ora modo angustisque perusti
Faucibus, interior sed vis quatit, aspera pulsu
Corda, gelant venae, et siccis cruor aeger adhaeret
Visceribus;'

349 sqq. Corippus pecoris et herbarum, quae non minus siccitate laborabant quam homines, mentionem facit.

,Quadrupedes cunctis quaerentes pabula campis
Errabant: nam dira fames atque ardor habebat
Omne genus; non herba virens, non frondibus ullis
Arbor erat, densis subito cum palluit herbis
Campus et adversi rubuerunt floribus agri'.

Stat. 703 sqq.:

,Aegra solo macies, tenerique in origine culmi
Inclinata seges, deceptum margine ripae
Stat pecus, atque amnes quaerunt armenta natatos.'

Dux Romanus fame et siccitate in dies magis crescentibus ad flumen quoddam castra movere cogitur. Ubi vero Romani in fluvii adspectum venerunt, avide sane ad eum proruerunt, quod poeta his verbis expressit (379 sq.):

,Castra locat ductor monstrati ad fluminis undam
Incubuit ripis sitiens Romana iuventus
Et liquidis solatur aquis. Huc udique miles
Confluit ad latices et dulcia flumina potat.'

Statius Theb. IV., 809 sqq. de Argivis, qui fontem ab Hypsipyle significatum investigaverunt, haec dicit:

,Incubuere vadis passim discrimine nullo
Turba simul primique, nequit secernere mixtos
Aequa sitis, frenata suis in curribus intrant
Armenta' —

Praeterea Corippus lib. VI., 333 sqq. exercitum Romanum siccitate laborantem fingit, qua dux Romanus ad fontem castra movere cogitur, quod fere iisdem verbis quibus Ioh. V., 379 sqq. expressit:

,Vidit ut hoc ductor, dilato Marte, Johannes
Castra super dulces posuit sitientia fontes.
Confluit ad gelidas ardens exercitus undas
Incumbuntque siti.'

Corippi Iohannidem et Laudes Iustini minoris perlegens non solum singula verba veluti ,pius, impius, impietas, pietas', sed etiam totos versus sexcenties eum repetere invenies.

In comparatione quae iam sequitur (Ioh. VI., 336 sqq. fingenda fortasse ei Stat. Ach. I., 555 sq. obversabantur:

,Innumerae densantur apes, cum sole sub alto
Iam sese e pastu referunt, rivoque fluenti
Mellificum bibit agmen aquas.'

A Statio Achaei discendentes cum apibus revertentibus componuntur:

,Quales iam nocte propinqua
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.'

Coripp. Ioh. II., 225:

,surgens licet inclita virtus.'

Stat. Theb. XI., 412:

,nusquam inclita virtus'.

Coripp. Ioh. IV., 122 sq.:

,Nunc virtutis opus. Semper mihi cognita virtus
Vestra, viri, semperque fides'.

Stat. Theb. IX., 37:

,Et cunctata fides; nimium nam cognita virtus.'

Coripp. Ioh. IV., 380 sqq.:

,Turbine victa ratis cursu ceu saepe recussa
Fertur in aequoreas, Auster quo dirigit, undas
Dum miseros turbant infensa pericula nautas
Obvius optato veniat si flamine ventus.'

fluxerunt ex Verg. Aen. VI., 336 sq.:

,per aequora vectos
Obruit auster, aqua involvens navemque virosque'

cf. Stat. Theb. III., 323:

,Signa dare aut ponto miseros involvere nautas.'

Coripp. Ioh. IV., 1027 sqq.:

,Nunc lapides torresque cadunt, modo missile robur
Spargitur; inde sudes et fracto monte molares
In galeis clipeisque tonant;'

Stat. Theb. V., 385 sqq.:

,Instamus iactu telorum, et ferrea nimbis'.
Certat hiems, vastaeque sudes fractique molares
Spiculaque et multa crinitum missile flamma
Nunc pelago, nunc puppe cadunt.'

Coripp. Ioh. V., 616:

,Ni pater omnipotens caelo miseratus ab alto
Salvasset.'

Stat. Theb. II., 115:

,Ipse deum genitor tibi me miseratus ab alto
Mittit.'

Coripp. Ioh. VII., 567 sq.:

,Tunc mucrone latus Gracchi ferit, inde Minisae
Colla metit, saevumque secat per tempora Cutin.'

Stat. Theb. IX., 223 sq.:
,Trepidi cursu glomerantur anhelo
Labdacidae, premit ille super, necopinaque ferro
Colla metens linquit truncos post terga cadentes.'
Coripp. Laud. Iustin II., 314:
,Emittunt dextras pariter pariterque remittunt'
et paulo infra v. 319:
,pariter pariterque recedunt'
conferatur cum Stat. Ach. II., 156:
,Tunc thyrsos pariterque levant pariterque reponunt.'
Coripp. Laud. Iustin. III., 10:
,Quae superimpositis implebant atria ceris'
ab iisdem verbis incipit quibus Stat. silv. I., 1, 1:
,Quae superimposito moles geminata colosso.'

Coripp. Laud. Iustin. III., 86 sq.:
,Coeperat Augustae felicia carpere mensae
Gaudia regales epulas et dulcia Bacchi
Munera.'
Stat. Theb. II., 306 sq.:
,Postquam regales epulas et gaudia vulgi
Bisseni clusere dies.'
Cf. Coripp. Iustin. Laud. III., 217.

Persaepe Corippus versus clausulam veluti Laud. Iustin. III., 293: ,ungula campos' [1]) ex Vergilio petitam carmine utroque recepit.

Laud. Iustin. IV., 130 sqq. Coripp. Iustinum imperium ineuntem iisdem verbis tumidis atque Statius Domitianum consulatum ingressum (silv. IV., 1) effert neque non verisimile est Corippum Statii carmen spectavisse.

Eadem sententia quae IV., 138: sq. pronuntiatur:
,Augusti primum renovasti Caesaris aevum
Clarius est meliusque tuum.'
iam apud Statium 32 invenitur:
,Tu iuvenis praegressus avos.'
Cf. Apollin. Sidon. (Sirmond.) II., 25 sq.

Coripp. IV., 133 cum Stat. v. 17 conferatur quibus versibus poeta uterque Caesarem sollemniter compellat:
,Salve, Augustorum numeri non ordine prime
Sed meriti;'

---

1) cf. p. 8.

Statius Domitianum ita compellat:
,Salve, magne parens mundi qui saecula mecum
Instaurare paras.'
Coripp. Laud. Iustin. II., 88:
,promuntque feruntque
Augustas vestes pretiosaque cingula gemmis.'
Stat. Theb. XII., 528:
,Corytique leves portantur et ignea gemmis
Cingula.'

Corippus agmen omnium eorum poetarum, quos Statii imitatores potissimos illustrare mihi in animo fuit, claudat. Omnes illos poetas contemplantes facere non possumus, quin concedamus Statium apud illos magni momenti ac ponderis fuisse eiusque carminum non minus ab iis rationem esse habitam imprimis vero ab Ausonio Claudiano Apollinari Sidonio quam poetarum aetatis Augusteae.

II.

Parte altera de Statio Vergilii et Horatii imitatore, ut in praefatione dixi, disserere mihi in animo est. Quo vero magis Statii imitatio illustretur, locos, quos iam Luehrius in diss. ,De P. Papinio Statio etc.' contulit, magnam in partem addam. Antequam ad rem ipsam aggrediar, versum afferam, ex quo cognoscitur, quanti Statius Vergilium aestimaverit, dico Theb. XII., 816:
,Vive precor; nec tu divinam Aeneida tempta.'

Comparationibus, quae cum ab aliis, qui in hac re versati sunt, tum a Carolo Krause adhuc prolatae sunt, complures adiungam. [1])

Comparationem, quam legimus silv. III., 1, 73 sqq.:
,qualem Libyae Saturnia nimbum
Attulit, Iliaco dum dives Elissa marito
Donatur, testesque ululant per devia nymphae.'
Statius composuit ex Verg. Aen. IV., 165 sqq. [2]):
,Speluncam Dido dux et Troianus eandem
Deveniunt; prima et Tellus et pronuba Iuno

---

1) In enumerandis Statii imitationibus Vergilianis Ribbeckii satis uberem appendicem et Muelleri observationes, ubi res exegerunt, sane quam respexi.

2) cf. Anthol. Latin. (Riese) XVIII, 14 sqq.
,Una omnes, magna invenum stipante caterva Deveniunt faciemque deae vestemque reponunt Dant signum, fulsere ignes et conscius aether Connubiis mediisque parant convivia tectis et Ovid. ep. VII, 93 sqq. (Luehr. p. 35).

,Sic modo si fas est aequare iacentia summis'
Dant signum; fulsere ignes et conscius aether
Connubiis summoque ulularunt vertice nymphae.'

Statius silv. III., 3, 56:
et silv. I., 5, 61:

,fas sit componere magnis'

versum illum Vergilii (Georg. IV., 176):

,si parva licet componere magnis

sine dubio in animo habuit.

Cf. Luehrium p. 33, ubi alios similes versus affert.

Stat. silv. IV., 2, 53 sq.:

,Talis ubi Oceani finem mensasque revisit
Aethiopum, sacro diffusus nectare vultus
Dux superum'

fortasse ad Verg. Aen. IV., 480 sq. reducendi sunt:

,Oceani finem iuxta solemque cadentem
Ultimus Aethiopum locus est.'

Quod ad rem pertinet, Statii versus ad Homerum reducendi sunt, qui Odyss. I., 22 sqq. Neptunum cum convivio se exhilarare vult ad Aethiopes abeuntem fingit:

,Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας
Αἰθίοπας, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος
Ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβων.'

cf. etiam Hom. Il. I., 423 sq.

Stat. silv. V., 1, 150 sqq.:

,Carpitur eximium fato Priscilla decorem
Qualiter alta comam silvarum gloria pinus
Seu Iovis igne mato seu iam radice soluta
Deficit' —

Verg. Aen. V., 448 sq.:

,Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.'

Luehrius cum v. 151 Stat. recte comparavit Verg. Cul. 135 sq.:

,Hic, magnum Argoae navi decus, edite pinus
Proceras decorat silvas' —

Complures versus deinceps, quibus interdum de industria alia verba supposuit, hos Statius ex Vergilio petivit. Ex silvis afferam V., 1, 254 sqq., quos iam Luehrius p. 45 notavit:

,Umbra venit, iubet ire faces Proserpina laetas
Egressasque sacris veteres heroidas antris
Lumine purpureo tristes laxare tenebras.'

Verg. Cul. 260 sq.:

,Obvia Persephone comites heroidas urget
Adversas praeferre faces' —

Theb. IV., 455 usque ad v. 470 Papinius praeclare exprimit, quomodo Tiresia vate adstante dis arae consecrentur ac sacrificia instituantur:

,Trunca dehinc nemora advolvit, maestusque sacerdos
Tres Hecate totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus iubet esse focos; tibi rector Averni
Quamquam infossus humo, superat tamen agger in auras
Pineus; hunc iuxta cumulo minor ara profundae
Erigitur Cereri; frondes atque omne cupressus
Intexit plorata latus. Iamque ardua ferro
Signati capita et frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges; tunc innuba Manto
Exceptum pateris praelibat sanguinem, et omnes
Ter circum acta pyras sancti de more parentis
Semineces fibras et adhuc spirantia reddit
Viscera nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subiectae faces.'

Totus hic locus Verg. Aen. VI., 212 sqq. debetur, ubi Troiani Miseno exequias ducunt:

,Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem taedis et robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera et ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices et aena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt
Purpureasque super vestes, velamina nota
Coniciunt; pars ingenti subiere feretro
Triste ministerium et subiectam more parentum
Aversi tenuere facem.'

Stat. Theb. V., 61 sqq.

,Illa Paphon veterem centumque altaria linquens
Nec vultu nec crine prior solvisse iugalem
Ceston et Idalias procul ablegasse volucres
Fertur.'

Verg. Aen. I., 415 sqq.

,Ipsa Paphon sublimis abit, sedesque revisit
Laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo
Ture calent arae sertisque recentibus halant.'

Hos versus Vergilius transtulit ex Hom.
Od. VIII., 362 sq.

,Ἡ δ' ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
Ἐς Πάφος· ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις.'

Statius Theb. VI., 633 Arcadem implorantem Dianam ita fingit:

,Diva potens nemorum — tibi enim hic tibi crinis honori
Debitus eque tuo venit haec iniuria voto —
Si bene quid genetrix, si quid venatibus ipse
Promerui, ne, quaeso sinas hoc omin Thebas
Ire nec Arcadiae tantum meruisse pudorem.'

Similiter apud Vergilium Luna a poetis saepe in Dianae locum supposita invocatur Aen. IX., 404 sqq.

,Tu dea, tu praesens nostro succurre labori
Astrorum decus et nemorum Latonia cultrix
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi
Suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi,
Hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.'

Iam duo loci sequuntur, quibus ad morem Romanorum et Graecorum alluditur, qui exuviis hostium in templis suspensis gentium nomina inscribere soliti sunt, dico Stat. Theb. VII., 54 sqq. et Verg. Aen. VII, 184 sqq., Statii versus sunt hi:

,Terrarum exuviae circum et fastigia templi
Captae insignibant gentes caelataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinae
Et vacui currus protritaque curribus ora
Paene etiam gemitus.'

Vergilius veterem illum morem ita describit:

,Captivi pendent currus curvaeque secures
Et cristae capitum et portarum ingentia claustra
Spicula clipeique ereptaque rostra carinis.'

Stat. Theb. VII., 203 sqq.

,Quin etiam invitus magna ulciscentaque passis
Aut Lapithas Marti aut veterem Calydona Dianae
Expugnare dedi;'

Verg. Aen. VII. 304 sqq.

,Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit, concessit in iras
Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydona merentem?'

Epiphonema quod est Stat. Theb. X., 445 sqq.

,Vos quoque sacrati, quamvis mea carmina surgant
Inferiore lyra, memores superabitis annos.
Forsitan et comites non adspernabitur umbras
Euryalus Phrygiique admittet gloria nisi'.

cum simili Vergiliano conferatur (Aen. IX., 447 sqq.):

,Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt
Nulla dies unquam memori vos eximet aevo

Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Advolet, imperiumque pater Romanus habebit.'

Nunc conferamus eos versus, quos Papinius paene integros ex Vergilio transtulit, ut sensus fere nihil mutetur et verba eandem fere in hexametris collocationem quam in versibus Vergilianis teneant.

Stat. silv. I., 1, 12:

,Nec grege permixto pueri innuptaeque puellae.'

Verg. Georg. IV., 475 [1]):

,Magnanimum heroum pueri inuptaeque puellae'.

cf. etiam Stat. Theb. II., 238 et Anthol. Latin. (Riese) VII., 11.

Stat. silv. I., 4, 107:

,Ritu se cingit uterque
Paeonio'.

iam Luehrius recte contulit cum Verg. Aen. XII., 401:

,Paeonium in morem senior succinctus amictu.'

Verg. Aen. VIII., 728:

,Indomitique Dahae, in pontem indignatus Araxes.'

Statius mutavit silv. I., 4, 79:

,Armenia et patiens Latii iam pontis Araxes.'

quem versum Claudianus Rufin. I., 376 sibi vindicavit:

,pontemque pati cogetur Araxes'.

cf. etiam Apollin. Sidon. II., 441 (Sirmond.):

,non ut mihi pressus Araxes
Imposito sub ponte fluat'.

Stat. silv. II., 1, 62 [2]):

,Quis matutinos abrumpet murmure somnos?'

Verg. Georg. III., 530 [3]):

,nec somnos abrumpit cura hilaris'.

Stat. silv. III., 2, 65 sq. fabula repetitur cuius auctor Homerus est [4]):

,Illa magis summae gelidum quae Pelion Ossae
Iunxit anhelantemque iugis bis pressit Olympum.'

(Quod ad rem pertinet cf. Zingerlium [Zu späteren etc.] II., p. 41 sqq.)

---

1) cf. Ribbeckii adnott. ad h. l.

2) cf. M. Hertz. Anal. ad carm. Hor. hist. II, p. 15 (ind. schol. Univ. lit. Vratisl. aest. 1878) ubi de Statii silv. I, 3, 42 disseruit.

3) cf. Seren. Sammon. de med. 60 ,Progenuit natura volens abrumpere somnos.'

4) Hom. Odyss. XI, 314:

,Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον' —

Verg. Georg. I., 281:
,Ter sunt conati imponere Pelio Ossam'.
cf. etiam Hor. carm. III., 4, 52:
,tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.'
Ovid. met. I., 155: ,et excussit subiecto Pelio Ossam'.
Alios similes versus Marklandus ad Stat. silv. III., 2, 65 attulit.

Stat. silv. III., 3, 12:
,Adeste
Dique hominesque sacris. Procul hinc, procul ite nocentes.'
Verg. Aen. VI., 257 [1]):
,visaeque canes ululare per umbram
Adventante dea procul, o procul este profani!
Conclamat vates, totoque absistite luco.'

Silv. III., 5, 25 Statius Nili mentionem facit, qui septem ostiis in mare Aegyptium se exonerat:
,Aut septemgemini caput haut penetrabile Nili.'
Verg. Aen. VI., 800:
,Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.'
Praeterea hi loci conferantur:
Catull. XI., 7:
,sive qua septemgeminus colorat
aequora Nilus.'
Ovid. met. V., 187:
,At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo
Ementitus erat'
atque met. I., 422:
,Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus.'
Prop. II., 1, 31 sq.:
,et Nilum cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis.'
Avien. descr. orb. terr. XXII.:
,septemque gurgite vasto
Ora procul Nili.'
Claudian. epithal. Honor. et Mar. 51:
,et septem despectat cornua Nili.'

Stat, silv. IV., 1, 15:
,Levat ecce supinas
Hinc atque inde manus.'

[1]) Vide quae Gramlewiczius (quaest. Claudian.) p. 14 de his versibus iudicaverit. Praeterea cf. Luehr. p. 39.

Verg. Aen. III., 176 [1]):
,tendoque supinas
,Ad caelum cum voce manus.'
Cum his locis conferantur ii versus, quos Luehrius p. 41 enumeravit ac Stat. Theb. VI., 146:
,frustraque manus cum voce tetendi'
qui versus manavit ex Verg. Aen. II., 688:
,caelo palmas cum voce tetendit.'

Stat. silv. IV., 2, 18 [2]):
,Tectum angustum ingens, non centum insigne columnis.'
Verg. Aen. VII., 170:
,Tectum angustum ingens centum sublime columnis'
quem versum iisdem verbis expressum inveni Anthol. Latin. (Riese) I., 18, 11. Praeterea Vergilii hexametri clausula mutuo sumpta est a Prudentio Apotheos. 522:
,Cuius onus nullis fultum sublime columnis.'
Cf. etiam Prudent. Psychom. 868:
,At domus interior septem subnixa columnis'
quae quidem versus clausula propius accedit ad Stat. silv. I., 2, 152:
,Pendent innumeris fastigia nixa columnis.'
Praeterea cf. Stat. Theb. II., 67.

Stat. silv. IV., 4, 29 sq.:
,exue curis
Pectus et adsiduo temet furare labori.'
Verg. Aen. V., 845:
,datur hora quieti
Pone caput fessosque oculos furare labori.'

Stat. silv. V., 1, 72:
,dum nocte dieque fatigas
Numina, dum cunctis supplex advolveris aris'
et Theb. II., 244:
,superosque in vota fatigant.'
Verg. Aen. VII., 582:
,Undique collecti coeunt Martemque fatigant.'
Hor. carm. I., 2, 26:
,Prece qua fatigent
Virgines — | — Vestam.'
Prop. III., 20, 3:
,Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?'

[1]) cf. Hor. carm. III., 23, 1 ,Caelo supinas si tuleris manus.'
[2]) Comp. Ribbeckius

Mart. epigr. I., 65, 5:
‚Quid frustra nemorum dominum regemque fatigas?'
Paulin. Nolan. XVII., 39 sq.:
‚Quem tui dudum populi fatigant
Nocte dieque.'

Apud scriptores similes loquendi formulae inveniuntur veluti apud Tacitum hist. I., 29, 1: ‚Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni iam imperii deos' atque apud Livium XXIII., 36: ‚inde fatigatus Campanorum precibus.'

Stat. silv. V., 1, 151[1]):
‚comites tamen undique ficto
Spem simulant vultu.'
Verg. Aen. I., 209:
‚curisque ingentibus aeger
Spem vultu simulat.'

Stat. silv. V., 1, 185:
‚Non in te fatis, non iam caelestibus ullis
Arbitrium.'
Verg. Aen. XI., 51:
‚Nos iuvenem exanimem et nil iam caelestibus ullis
Debentem vano maesti comitamur honore.'

De Stat. silv. V., 3, 39 et Verg. Georg. I., 491 cf. Luehr. p. 36.

Stat. silv. V., 1, 225:
‚Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius coniux — composuit.'
Verg. Cir. 387[2]):
‚Tum coma Sidonio florens deciditur ostro.'

Stat. Ach. I., 267:
‚Per ego hoc decus et ventura iuventae
Gaudia.'
Verg. Aen. IV., 314:
‚Mene fugis? Per ego has lacrimas dextramque tuam te
Oro.'

Pariter ad Vergilium revocandi sunt Anthol. Latin. (Riese) XVII., 210:
‚Mene fugis? Per ego has lacrimas | Te precor'
atque Dracont. Orest. 740:
‚Orabat natum: per ego haec puer ubera parce.'

---

[1]) Comp. Ribbeckius
[2]) cf. Hor. I., 10, 26 ‚Non qui Sidonio contendere callidus ostro.'

Stat. Ach. I., 478:
‚Cuius ab ortu
Cruda rudimenta et teneros formaverit annos
Centaurus.'
Verg. Cir. 45:
‚in quibus aevi
Prima rudimenta et iuvenes exegimus annos.'

Statius Ach. I., 558 sq. de classe vento secundo in altum evehente haec dicit:
‚Nec mora: iam dextras Ithacesia carbasus auras
Poscit et in remis hilaris sedere iuventus.'

Eandem rem iam Vergilius iisdem fere verbis expressit Aen. IV., 417 sq.:
‚Undique convenere: vocat iam carbasus auras
Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.'
Stat. Ach. II., 82:
‚atria fervent
Regali strepitu et picto discumbitur ostro.'
Verg. Aen. I., 700[1]):
‚Conveniunt stratoque super discumbitur ostro.'

Stat. Ach. II., 286:
‚Irrita ventosae rapiebant verba procellae.'
ad Catullum referendus est LXIV., 59[2]):
‚Irrita ventosae linquens promissa procellae.'

Hunc versum Vergilius quoque in usum suum vertit Aen. XI., 789:
‚inque notos vocem vertere procellae.'

Stat. Theb. I., 201:
‚mediis sese arduus infert'.
Verg. Aen. IX., 53:
‚et campo sese arduus infert.'

Pariter claudit Verg. Georg. II., 145.

Stat. Theb. I., 539:
‚Postquam ordine mensae
Victa fames' —
Verg. Aen. I., 216:
‚Postquam exempta fames epulis mensaeque remotae.'

---

[1]) cf. Forbigeri aduott. ad h. l.
[2]) cf. etiam Ovid. met. VIII, 134 sq. — ‚an inania venti verba ferunt' — quem locum Claudianus Rapt. Pros. III., 133 sq. imitatus est: — ‚procul irrita venti Dicta ferant.'

De Gorgone Statius Theb. I., 546:
‚illa graves oculos languentiaque ora
Paene movet.'
Vergilius Aen. IV., 688 de Didone moribunda:
‚Illa graves oculos conata attollere rursus
Defecit.'
Similis versus mihi occurrit apud Propertium III., 29, 16:
‚atque oculos moverit illa graves.'

Stat. Theb. I., 584 sqq.:
‚Non tibi digna, puer, generis cunabula tanti
Graminea dedit herba toros et vimine querno
Texta domus; clausa arbutei sub cortice libri
Membra tepent.'
Verg. Aen. XI., 65 sq.:
‚et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno
Extructosque toros obtentae frondis inumbrant.'

Stat. Theb. I., 670:
‚dudum si certus ad aures
Clamor iit' —
Verg. Aen. I., 375:
‚si vestras forte per aures
Troiae nomen iit' —

Stat. Theb. II., 115:
‚Ipse deum genitor tibi me miseratus ab alto
Mittit' —
Verg. Aen. IV., 268 [1]):
‚Ipse deum tibi me claro demittit Olympo
Regnator' —
Haud scio an Vergilio in versu illo fingendo Hom. Il. XI., 201 observatus sit:
‚Ζεύς με πατὴρ προέηκε τεΐν τάδε μυθήσασθαι.'

Stat. Theb. II., 406:
‚satis auro dives et ostro
Conspicuus.'
Verg. Aen. IV., 134 [2]):
‚ostroque insignis et auro
Stat sonipes.'

---

[1]) cf. Anthol. Latin. (Riese) 719, 1
‚Omnipotens genitor tandem miseratus ab alto' et v. 9 — deus athere missus ab alto' Praeterea cf. p. 41.
[2]) cf. Coripp. Laud. Justin. III., 199 ‚auroque ostroque superbum'.

Stat. Theb. II., 534:
‚Spicula et inclusum capulo tenus admovet ensem.'
Verg. Aen. X., 536:
‚atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus applicat ensem.'
Stat. Theb. III., 718:
‚Tu solare virum, neu sint dispendia iustae
Dura morae.'
Verg. Aen. III., 453:
‚Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti.'

Stat. Theb. IV., 591:
‚Oenomaus largis humectat imbribus ora.'
Verg. Aen. XI., 90 [1]):
‚It lacrimans guttisque humectat grandibus ora.'
Praeter Statium imitati sunt Vergilium Claudianus in Rufin. II., 258:
‚Ingentem tollit gemitum galeasque solutis
Humectat lacrimis.'
Corippus Ioh. VII., 357:
‚Nec minus humectans iuxta Recinarius ora.'

Stat. Theb. IV., 679:
‚dicto prius adstitit arvis.'
Pari modo Verg. Aen. I., 142: ‚dicto citius,' quae dicendi formulae idem significant quod illud: dictum factum. [2])
Stat. Theb. IV., 819 [3]):
‚inde toros riparum et proruta turbant
Gramina.'
Verg. Aen. VI., 674:
‚Riparumque toros et prata recentia rivis
Incolimus.'

Stat. Theb. V., 442:
‚et tarda quamvis se mole ferentem.'
Verg. Aen. VIII., 199:
‚Ore vomens ignis magna se mole ferebat.'
Forbigerus ad Vergilianum versum etiam Aen. III., 656 attulit:
‚Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem'
(quae verba ad Polyphemum referenda sunt).

---

[1]) cf. Anthol. Latin. (Riese) VIII., 112.
[2]) cf. Adnott. editor. ad Hor. salt. II., 2, 80.
[3]) cf. Mueller. ad h. l.

Stat. Theb. V., 624:
,Quae mentem insania traxit?'
conferatur cum Verg. Aen. IV., 595 [1]):
,quae mentem insania mutat?'
atque cum Aen. II., 42:
,quae tanta insania cives?'
Cf. etiam Aen. I., 237.

Stat. Theb. V., 695:
,iamque faces et tela penatibus instant'
ac Theb. VI., 536:
,hic mixta caede rotantur
Saxa, faces aliique iterum crateres'
cf. cum Verg. Aen. I., 150 [2]):
,Iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.'

Stat. Theb. VI., 136:
,Eurydice nudo vocem de pectore rumpit.'
Verg. Aen. III., 246:
,Infelix vates rumpitque hanc pectore vocem.'
cf. Aen. XI., 377.

Stat. Theb. VI., 12:
,Sanguinis et rapti gratissima cymbia lactis.'
Verg. Aen. III., 66:
,Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis.'
Ad Vergilium quoque revocandus est Prudent. Apotheos. 472:
,Quam sufferre queant spumantia cymbia lacte.'

Locis a Marklando ad silv. V., 3, 55 prolatis Stat. Theb. VI., 401, VI., 459, XI., 875 adiungantur.
Stat. Theb. VII., 634 sq.:
,sic fessa manus, venit hasta per armos
Tydeos et laevum iuvenis transverberat inguen.'
Verg. Aen. X., 588 sq.:
,subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei, tum laevum perforat inguen.'

Stat. Theb. VIII., 189:
,Et nunc te quis casus habet'
comparetur cum Verg. Aen. III., 317:

---

[1]) cf. Anthol. Latin. (Riese) IV., 30 et Avian. VII., 15 ,Infelix, quae tanta rapit dementia sensum?'
[2]) cf. Coripp. Joh. II, 125 ,his arma furor bellumque ministrat' et Joh. VII., 86 ,Saxa, faces, gladios, quotquot furor arma ministrat Diripite'.

,Heu! quis te casus | Excipit.'
Stat. Theb. IX., 708:
,Sed premit et saevas miserantibus ingerit hastas.'
Verg. Aen. IX., 763:
,Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas.'
Stat. Theb. IX., 778:
,Amphion ignarus adhuc quae funera campis
Ille daret.'
Verg. Aen. XII., 383 [1]):
,Atque ea dum campis victor dat funera Turnus.'
Stat. Theb. X., 271:
,Sic fatus et exuit ensem
Fulmineum.'
Verg. Aen. IX., 441:
,instat non secius ac rotat ensem
Fulmineum.'
Praeterea cum Statii loco conferatur Verg. Aen. IX., 303:
,humero simul exuit ensem.'

Dicendi formulae ,mentis inops' (Theb. X., 820) vel ,inops animi' (Theb. XI., 152) ad Verg. Aen. IV., 300 revocandae sunt. Quoniam illae loquendi rationes apud omnes fere poetas inveniuntur, alia exempla proferre longum est.

Stat. Theb. XI., 160:
,regumque verendas
Obiectare animas.'
Verg. Aen. XII., 230 [2]):
,pro cunctis talibus unam
Obiectare animam?'

Ad Verg. Aen. VI., 835:
,Proice tela manu, sanguis meus,'
referendi sunt Stat. Theb. XI., 363:
,Comprime tela manu'
atque Theb. III., 239:
,Vos, o superi, meus ordine sanguis.'

Stat. Theb. XII., 197:
,adspiretque pio fortuna labori.'
Verg. Cir. 99:
,Praecipue nostro nunc adspirate labori.'

---

[1]) cf. Coripp. Joh. VII., 527 ,Quis tot acerba ducum dederant quae funera campis.'
[2]) cf. Anthol. Latin. (Riese) XV., 64.

Stat. Theb. XII., 393:
‚Per socios Manes et conscia sidera iuro.'
Similis iurisiurandi formula est Verg. Aen. IX., 429:
‚caelum hoc et conscia sidera testor.'
Stat. Theb. XII., 527:
‚Corytique leves portantur et ignea gemmis
Cingula.'
Verg. Aen. X., 169:
‚Corytique leves humeris et letifer arcus.'

His versibus, quibus Statium quam plurimum ad Vergilium se applicasse quosque interdum fere integros ex Vergilio recepisse eum apparet, iam eos adscribamus, quibus Statii imitatio haud ita manifesto cernitur, quod vel alia verba supposuit vel aliam notionem versibus subiecit.

Ut a silvis ordiar, Statius silv. I., 1 sqq.[1]) de amplitudine equi maximi Domitiano consecrati — quo magis Domitiano imperatori adularetur — haec dicit:
‚Quae superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum? Caelone peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?'
Cui non in mentem veniat versuum illorum Vergilii Aen. III., 579:
‚ingentemque insuper Aetnam
Impositam ruptis flammam expirare caminis'
atque Georg. IV., 170 sqq., ubi Vergilius de Cyclopum officina loquitur:
‚Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt — — — —
— gemit impositis incudibus Aetna.'
Cf. etiam Stat. silv. III., 1, 130 sqq.[2]):
‚Non tam grande sonat motis incudibus Aetna
Cum Brontes Steropesque ferit nec maior ab antris
Lemniacis fragor est, ubi flammeus aegida caelat
Mulciber.'

Stat. silv. I., 4, 129:
‚Aut praestent niveos Clitumna novalia tauros.'
Tauri nivei appellantur, quod Clitumni aqua a pecudibus hausta fetus albos procreare putabatur[3]).

[1]) cf. Verg. Aen. VI., 630 ac Claudian. Rapt. Pros. III., 117 sq.
[2]) cf. Verg. Aen. VIII., 424 sq., 451.
[3]) Serv. ad Verg. Georg. II., 146.

Verg. Georg. II., 146:
‚Hinc albi Clitumne greges et maxima taurus
Victima;'
Propertius quoque rem illam attigit III., 19, 25 sq.:
‚Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit et niveos alluit unda boves.'

Stat. silv. V., 2, 37:
‚atque illi curarum asperrima suetus
Credere partirique metus.'
Luehrius bene composuit cum Verg. Aen. XI., 822:
‚Alloquitur fidam ante alias, quae sola Camillae
Quacum partiri curas.'

Vergilius de Helena belli Troiani auctore Aen. X., 90 sq. haec dicit:
‚quae causa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque et foedera solvere furto.'
quibus de versibus Statius Ach. I., 82 cogitasse videtur:
‚miscere cruentas
Europaeque Asiaeque manus.'
Cf. etiam Prop. II., 3, 35 sq.
‚Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europae atque Asiae causa puella fuit.'
atque Ovid. am. II., 12, 17 sq.:
‚Nec belli est nova causa mei. Nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europae pax Asiaeque foret.'

Stat. Ach. I., 447 sqq.:
‚Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis
Rupibus expositis longique crepidine dorsi
Euboicum scandens Aulis mare.'
Verg. Aen. X., 653 sq.:
‚Forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis et ponte parato.'
Stat. Theb I., 617 sq.[1]):
‚visere iuxta
Liventes in morte oculos uterique nefandam
Proluviem' —
Verg. Aen. III., 216 sq.:
‚Virginei volucrum vultus, foedissima ventris
Proluvies' —

[1]) comp. Muellerus

Stat. Theb. II., 321:
,talem sub pectore nubem
Consilio volvens' —
Verg. Aen. XI., 254:
,Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.'

Stat. Theb. II., 608: ,comitemque illi iubet ire sub umbras.' Verg. Aen. XII., 881[1]) desinit in verba: ,comes ire per umbras' atque similiter Verg. Aen. IV., 660[2]): ,iuvat ire sub umbras'. His locis adiungam Stat. Theb. X., 316:
,Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras
Vita fugit' —
qui et cum iis locis, quos modo protuli et cum Verg. Aen. XI., 831 comparetur:
,Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.'

Stat. Theb., III. 323[3]):
,Signa dare aut ponto miseros involvere nautas.'
Verg. Aen. VI., 336[4]):
,per aequora vectos
Obruit auster, aqua involvens navemque virosque.'

Stat. Theb. III., 493: ,Signa feras laevusque tones' dictum est de signo, quod augurantibus prosperum videbatur, cum de sinistra parte tonuerat. Eodem sensu Vergilius Aen. IX., 631 dixit:
,coeli de parte serena
Intonuit laevum.'

Stat. Theb. III., 593:
,Bella animis, bella ora fremunt, it clamor ad aures.'
ac Theb. VI., 618:
,Arcades arma fremunt, armis defendere regem.'
ob similem verborum eorundem repetitionem comparaverim cum Verg. Aen. VII., 460:
,Arma amens fremit, arma toro tectisque requirit.'

Stat. Theb. VI., 380[4]): ,Extrema iam fila colu' accedit ad Verg. Aen. X., 815: ,extremaque Lauso | Parcae fila legunt'.

---

[1]) de hexametri clausula ,comes ire recuso' cf. Ribbeck. ad Aen. II, 704 et Luehr. p. 40.
[2]) cf. Coripp. Joh. I., 488 ,Si te iuvat ire sub umbras' et Anthol. Latin. (Riese) XV., 126.
[3]) cf. p. 41.
[4]) comp. Muellerus

Stat. Theb. VII., 72: ,Dant silvae nixque alta locum'. Verg. Aen. VII., 676: ,dat euntibus ingens | Silva locum'.
Stat. Theb. VIII., 70 sq: ,fratres alterna in vulnera laeto | Marte ruant.'
Verg. Aen. X., 21 sq:
,Per medios insignis equis tumidusque secundo
Marte ruat?'
Stat. Theb. VIII., 140: Non armis, non sanguine opus.'
Verg. Aen. IX., 148:
,Non armis mihi Vulcani non mille carinis
Est opus.'

Quod ad Theb. IX., 550: ,Te voco, te solam superum contemptor adoro' attinet cf. Verg. Aen. VIII., 7. Ovid. met. VIII., 168. I., 161. XIII., 761.

Stat. Theb. X., 531:
,At Tyrii quae sola salus caput omne coronant.'
Verg. Aen. IX., 257:
,Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto
Excipit Ascanius.'
Stat. Theb. XI., 297:
,Sic pater infrendens miseraque exaestuat ira.'
Verg. Aen. IX., 798:
,Improperata refert et mens exaestuat ira.'

Exemplis adhuc a me prolatis satis superque demonstrasse mihi videor, quantopere Statius Vergilium imitatus sit.

Quo vero plenius propositum meum peragam, restat, ut eos quoque versus enumerem, qui apud utrumque poetam ab iisdem vel similibus verbis incipiunt vel pariter claudunt. Antea vero pauca ad ea, quae Luehrius p. 8 dissertationis suae disseruit, respondebo. Apud Luehrium enim haec legimus: ,Saepissime autem accidit, ut eadem nomina vel verba, sive grammatice inter se iuncta sunt sive nullo rationis vinculo continentur, in initio vel clausula hexametri occurrant, qua re tanta versuum efficitur aequalitas, ut de imitatione alterius vix possit dubitari,' cuius generis versus affert ita incipientes: ,Ventum erat ad, Iamque dies aderat, Tempus erat cum, Tempus erat quo,' tum versus enumerat, qui incipiunt a verbis ,sunt qui, sunt quos, sunt quibus, est et.' Quis in poetis Romanis legendis non saepissime in versus ab illis verbis incipientes inciderit? Nonne etiam scriptores pedestris orationis locutionibus illis saepenumero utuntur? Poetae sane illas dicendi rationes maxime idoneas, a quibus versus inciperent, studio et amore quodam adhibuerunt.

Mea quidem sententia in versibus talibus certa statui non possunt. Certe Luehrius modum excessit comparando versus veluti

Hor. carm. III., 2, 25 et Stat. silv. IV., 5, 49, qui incipiunt a verbis ,Est et' vel Hor. sat. I., 5, 101 et Stat. silv. V., 3, 80 incipientes a verbis ,Non ego'. Talibus locis de imitatione poetae alterius omnino non cogitandum est. Sed iam ad propositum meum revertar. Ex iis locis, quos in schedis meis collatos habeo, eos tantum enumerabo, quibus de Statii imitatione dubitari non potest. Pariter ex locis, quos Luehrius comparavit, eos excerpam, quibus Statium ad Vergilium se applicasse manifesto cernitur veluti Stat. silv. II., 6, 34: ,Qualis eras procul en!' quem locum bene reduxit ad Verg. Aen. II., 274: ,Ei mihi qualis erat!'

Stat. silv. III., 2, 69: ,Imus in abrumptum.'
Verg. Aen. XII., 687: ,Fertur in abruptum.' [1])

Stat. silv. III., 4, 22 [2]): ,Venus aurea contra.'
Verg. Aen. X., 16: ,Venus aurea cygnos'
cf. etiam Ovid. ep. XV., 289: ,Venus aurea furtis.'

Stat. silv. V., 1, 176: ,Tunc sic unanimum.'
Verg. Aen. IV., 8: ,Cum sic unanimum.'
De Stat. silv. V., 2, 117: ,Si qua fides dictis' inspicias Luehrium p. 42.
Stat. Ach. II., 198 [3]): ,Eia age, rumpe moras.'
Verg. Georg. III., 42: ,— en age, segnis | Rumpe moras.'
Ex Thebaide mihi enumerandi sunt loci hi:
Stat. Theb. I., 248: ,Sic pater omnipotens.'
Verg. Aen. I., 60: ,Sed pater omnipotens.'
Stat. Theb. I., 276: ,Emendare sat est.'
Verg. ecl. VII., 34: ,Exspectare sat est.'
Stat. Theb. I., 576 et Verg. Aen. II., 126 incipiunt: ,Bis quinos.'

Inversio praepositionis ,penes' coniunctae cum accusativo ,te' pariterque praepositionis ,sine' cum ablativo ,te' iunctae in versuum initio saepe apud poetas invenitur, cuius prioris generis exempla induco Stat. Theb. II., 438, VIII., 308 ac Verg. Aen. XII., 59, alterius Stat. Theb. IV., 202 ac Verg. Georg. III., 42.

De Stat. Theb. IV., 146 cf. Luehrium p. 40.
Stat. Theb. IV., 388: ,Tethyos Eoasque domos.'
Verg. Georg. II., 115: ,Eoasque domos.'
Stat. Theb. IV., 801: ,Rauca sonat vallis.'

---

[1]) cf. Claudian. in Eutrop. II., 424.
[2]) comp. Luehrius
[3]) cf. Ribbeck. ad Verg. Aen. IV, 568. Praeterea cf. Claudian. epist. II., 19 ,Quin age rumpe moras' atque Mart. epigr. II., 64, 9.

Verg. Aen. IX., 125: ,Rauca sonans.'
Stat. Theb. V., 396: ,Diriguere animi.'
Verg. Aen. VII., 447: ,Diriguere oculi.'
Stat. Theb. VI., 11: ,Nigra superstitio.'
Verg. Aen. VIII., 187: ,Vana superstitio.'
Stat. Theb. VI., 211: ,Spumantesque mero paterae.'
Verg. Aen. I., 739: ,Spumantem pateram.'
Stat. Theb. VI., 460 ac Verg. Aen. IX., 515: ,Nec iam sufficiunt.'
Stat. Theb. VI., 594: ,Corripuere leves spatium.'
Verg. Aen. VI., 634: ,Corripiunt spatium.'
Stat. Theb. VII., 139: ,Praecipitant redimuntque moras.'
Verg. Aen. VIII., 443: ,Praecipitate moras.'
Stat. Theb. VII., 489: ,Clamorem horrendum — resolvit.'
Verg. Aen. II., 222: ,Clamores simul horrendos — tollit.'
Stat. Theb. VII., 690: ,Eminet ante alios.'
Verg. Aen. V., 151: ,Effugit ante alios.'
Stat. Theb. IX., 855: ,Iam minus atque minus fert arma.'
Verg. Aen. XII., 616: ,Iam minus atque minus — laetus.'
Verg. Aen. XI., 639 [1]) ac Stat. Theb. IX., 872: ,Vulneris impatiens.'

Versus vel pariter vel similiter claudentes apud utrumque poetam hos inveni:
Stat. silv. I., 1, 15: ,iuvat ora tueri.'
Verg. Aen. VI., 688: ,datur ora tueri.'
De hexametri exitu: ,moenia Romae.' (Stat. silv. I., 2, 191, Verg. Aen. I., 7) cf. Luehrium p. 30.

Stat. silv. II., 1, 50: ,heu lactea colla.'
Verg. Aen. VIII., 660 [2]): ,tum lactea colla.'
Stat. silv. II., 6, 46 ac Verg. Aen. II., 638: ,integer aevi.'

Stat. silv. II., 4, 24 [3]): ,aeriae — gloria gentis' et Theb. IV., 242: ,ea gloria genti.'
Verg. Aen. VI., 767: ,Troianae gloria gentis.'

Stat. silv. III., 2, 37: ,patriis allabitur oris.'
Verg. Aen. VI., 2: ,Euboicis — allabitur oris.'
Stat. silv. III., 281 [4]): ,nostri pignus amoris.'
Verg. Aen. V., 572: ,et pignus amoris.'

---

[1]) cf. Anthol. Latin. (Riese) I., 14, 1.
[2]) cf. Nemes. eclog. II., 80 ,et lactea colla' et Anthol. Latin. (Riese) I., 18, 37 ,cui lactea colla.'
[3]) cf. Luehrium p. 30.
[4]) cf. Luehrium p. 31.

Stat. silv. V., 2, 17 claudit: ‚non sanguine cretus' et similiter Verg. Aen. II., 74: ‚quo sanguine cretus,' qui locus Zingerlium (cf. Zu späteren etc. I., p. 54) effugit.

Praeterea cf. Dracont. VIII., 69: quo sanguine cretus.'

Stat. Theb. I., 399: ‚etenim vetat auctor Apollo.'
Verg. Aen. XII., 405: ‚nihil auctor Apollo.'
In verba ‚augur Apollo' cadunt Stat. Theb. I., 495, Verg. Aen. IV., 376
cf. etiam Hor. carm. I., 2, 31.

Stat. Theb. I., 614 et Verg. Aen. II., 333: ‚mucrone corusco.'
Stat. Theb. II., 101 et Verg. Aen. II., 280: ‚expromere voces.'
Stat. Theb. IV., 199: ‚atque insuper addit.'
Verg. Aen. II., 593: ‚haec insuper addidit ore.'
Stat. Theb. IV., 769: ‚et si caelestis origo est.'
Verg. Aen. VI., 730: ‚et caelestis origo.'

Stat. Theb. VI., 166: ‚dum vita manebat.'
Verg. Aen. VI., 608: ‚dum vita manebat'
cf. etiam Verg. Aen. VI., 661.
Mart. epigr. VIII., 38, 15: ‚vita dum manebit.'
Claudian. bell. Gildon. 306: ‚dum vita maneret.'

Stat. Theb. VI., 185: ‚obmutuit ore querelis.'
Verg. Aen. VI., 155: ‚pressoque obmutuit ore.'

Stat. Theb. VI., 521: ‚volat ocior Euro.'
Verg. Aen. VIII., 223: ‚fugit ilicet ocior Euro.'
Cf. Hor. carm. II., 16, 24: ‚ocior cervis et agente nimbos — Ocior Euro.'
Claudian. Olyb. et Prob. cons. I., 100: ‚rapido velocior Euro.'

Stat. Theb. VI., 794: ‚sed non tamen immemor artis.'
Verg. Georg. IV., 440 [1]): ‚contra non immemor artis.'
Stat. Theb. VI., 828 et Verg. Aen. V., 291 [2]): ‚contendere cursu.'
Stat. Theb. VII., 61: ‚divina Mulciber arte.'
Verg. Aen. II., 15 [3]): ‚divina Palladis arte.'
Stat. Theb. VII., 584: ‚immane frementes.'
Verg. Aen. XII., 535: ‚immane frementi.'

---

[1]) cf. Anthol. Latin. (Riese) XII., 5.
[2]) cf. Anthol. Latin (Riese) XI., 16.
[3]) cf. Anthol. Latin. (Riese) XVII., 137.

Stat. Theb. VIII., 37 et Verg. Aen. I., 204: ‚discrimina rerum.'
Stat. Theb. VIII., 602 et Verg. Aen. VIII., 113: [1]) ‚Quo tenditis? inquit.'
Stat. Theb. IX., 842 [2]): ‚cui sanguinis auctor.'
Verg. Aen. VII., 49: ‚tu sanguinis ultimus auctor.'
Stat. Theb. X., 303: ‚morientia lumina solvit.'
Verg. Aen. V., 856: ‚natantia lumina solvit.'
Stat. Theb. XI., 245: ‚te solum in proelia poscens.'
Verg. Aen. X., 661: ‚absentem in proelia poscit.'
Stat. Theb. XII., 27: ‚pars oscula figunt.'
Verg. Aen. II., 490: ‚atque oscula figunt.'
Stat. Theb. XII., 147 et Verg. Aen. VI., 710: ‚causasque requirit.'
Stat. Theb. XII., 155 et Verg. Georg. III., 5: ‚Busiridis aras.'
Sed haec hactenus; de aliis locis cf. Luehrium p. 28 sq.

Priusquam finem harum quaestionum faciamus, singulas dictiones utriusque poetae proprias visamus.

(Amara) Doris pro mari posita est Verg. eclog. X., 5 atque Stat. Theb. IX., 370. Claudianus quoque Vergilii exemplo vocem Doridis pro mari usurpavit Manl. Theod. cons. 45.

‚Arrepto tempore' apud Vergilium Aen. XI., 459 et Statium Ach. I., 318 idem significat quod Graecum ἐν καιρῷ vel εὐκαίρως, de qua dicendi ratione inspicias Wagneri adnott. ad Verg. l. Cf. etiam Claudian. in Eutrop. II., 193:

‚Caecae undae' pro mari ignoto vel incerto Verg. Aen. III., 200 et Stat. Theb. III., 30 dicitur.

Si omnium eorum locorum, quos protulimus summam subducamus, Statius Vergilii carmina non pari modo imitatus est. Ex carminibus, quae feruntur minora Culicem, quem a Vergilio esse scriptum Statius censuit [3]), silv. V., 150 sq., V., 254 [4]) respexit, cum in Achilleide atque Thebaide loci ex Culice hausti non inveniantur. Ex Ciri fluxerunt silv. IV., 2, 62 [4]), V., 1, 225. Ach. I., 472. Theb. XII., 197. Nescio an Statius silv. III., 2, 39, quem versum ex Ciri (v. 396) esse haustum Luehrius p. 45 putat, ex Ovid. met. IV., 542: ‚Leucotheeque deum cum matre Palaemona dixit' mutuatus sit. Vehementer nobis mirandum est, quod Statius Bucolica et Georgica parum respexerit, cum ex Aeneide maximam

---

[1]) cf. Anthol. Latin. (Riese) X., 4.
[2]) cf. Anthol. Latin. (Riese) XVI., 71 ‚sed sanguinis auctor'.
[3]) cf. Teuffel. Röm. Liter. III. p. 472, 1 (Stat. silv. II, 7, 73 sq. ‚haec primo inanis canes sub aevo, ante annos Culicis Maroniani et Stat. silv. I praef. ‚Sed et Culicem legimus et Batrachomyomachiam etiam agnoscismus'.
[4]) Cf. Luehr. p. 45.

habeat copiam imitationum. Statii autem ipsius carmina percensens invenies in silvis eum minus rationem habuisse Vergilianorum carminum quam in carminibus epicis fortasse propterea quod in silvis componendis non tantam operam consumpserit [1]) quantam in Achilleide ac Thebaide scribenda.

Restat ut ad Horatium accedamus, qui quantum apud Statium valuerit, iam tantum disputatum est, ut hanc rem plane omittam. (Cf. Zingerlium Zu späteren etc. I. p. 23 sqq., Martini Hertz analecta ad carminum Horatianorum historiam II. p. 14 sq. [ind. schol. univ. lit. Vratisl. 1878 aest.], Luehrii diss. p. 5 sqq.) Itaque meum erit hos tantum locos enumerare, qui adhuc nondum prolati sunt.

Stat. silv. II., 7, 12 exclamatio extat ‚favete linguis,' quae quin ad Horatium sit reducenda nemo est qui dubitet (carm. III., 1, 2). ‚Favere linguis' vel ‚favere lingua' exclamatio est, qua sacerdotes silentium eorum qui aderant ante sacra instituenda impetrabant eamque poetae, qui Musarum sacerdotes putabantur, sibi vindicarunt. Iam Vergilius Aen. V., 71 [2]) simili dicendi formula usus est ‚ore favete omnes', ut verisimile sit Horatium alio verbo supposito Vergilii formulam sibi vindicasse, cum Statius aliique, quos iam enumeraturus sum ad Horatium se applicarent. Cf. Ovid. fast. I., 71: ‚linguis animisque favete'. Mart. epigr. X., 87, 3: ‚Linguis omnibus et favete votis.' ‚Iuven. XII., 83: ‚Ite igitur pueri linguis animisque faventes.' Cf. etiam Ovid. am. III., 13, 29.

Stat. silv. II., 2, 123:
‚Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus | tenent'
certe Hor. carm. I., 1, 7 debetur:
‚Hunc si mobilium turba Quiritium | Certat—tollere.'

Cf. Zingerlium (Zu späteren etc.) I. p. 13, qui cum Horatii versu composuit Senec. Herc. I., 171: ‚mobile vulgus cura tumidum tollit inani.' Haud scio an Claudianus quoque IV. cons. Honor. 302 Horatii versum respectum habuerit: ‚Mobile mutatur semper cum principe vulgus.'

Stat. Theb. II., 404:
‚et te iam tempore aperto
Sub Iove ferre dies.'
Hor. carm. I., 1, 25 [3]):
‚Manet sub Iove frigido | Venator.'

---

[1]) cf. praef. ad silv. I.
[2]) cf. Anthol. Latin. (Riese) XVII., 106.
[3]) cf. Dillenburgeri adnott. ad h. l.

Ovid. fast. III., 327:
‚Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt.'
Claudian. in Prob. et Olyb. cons. 36:
‚et gelido si quem Maeotica poscit
Sub Iove.'

‚Corinthus bimaris' commemoratur his locis.
Hor. carm. I., 7, 2: ‚bimarisve Corinthi moenia.'
Ovid. met. V., 132: ‚Et qua Bacchiadae, bimari gens orta Corintho.'
Stat. Ach. I., 407:
‚Nec tantum exciti bimari quos Isthmia vallo
Claustra — circuit.'
Prudent. contra Symmach. II., 352:
‚Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi.'
Apollin. Sidon. II., 476 (Sirmond):
‚et in bimarem felicia regna Corinthum.'
Cf. etiam Stat. Theb. I., 335.

Statius Theb. III., 121:
‚Ut vero infames scopulos — | Perventum'
cogitavit de Hor. carm. I., 3, 20: ‚Infames scopulos Acroceraunia,' quibus locis accedat Avien. descr. orb. terr. 539: ‚Saepe carinarum famosa Ceraunia surgunt.'

Sub finem v. 237 Ach. I. legimus ‚aut Thessala Tempe,' qui idem exitus invenitur apud Horatium carm. I., 7, 4 atque apud Ovidium met. VII., 222.

Hor. carm. II., 16, 33 sqq. [1]):
‚Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa.'
Statio obversabantur silv. IV, 5, 17 sq.:
‚Non mille balant lanigeri greges
Nec vacca dulci mugit adultero.'

Cum Hor. carm. I., 12, 46 sqq.:
‚micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores'
iam Zingerlius bene composuit Stat. silv. II., 6, 36 sq.:
‚quantum praecedit clara minores
Luna faces.'

---

[1]) cf. Zingerlium. (Zu späteren etc.) I p. 24.

Cf. etiam Hor. epod. XV., 1 sq.:
,Nox erat et caelo fulgebat luna serena
Inter minora sidera.'

Stat. silv. V., 1, 11, sqq.:
,Nos tibi, laudati iuvenis rarissima coniux,
Longa nec obsurum finem latura perenni
Temptamus dare iusta lyra:'
cf. cum Hor. carm. III., 30, 1 atque eis locis, quos Dillenburgerus in adnott. ad Hor. l. protulit. Statii vero mirum in modum rationem non habuit.

Stat. Theb. IV., 690: ,cesset ni vestra voluntas.'
Hor. carm. I., 27, 13: ,Cessat voluntas?'

Hor. carm. III., 4, 70 sqq. de Orione, qui Dianam stuprare conatus eius sagittis interfectus est ,notus et integrae | Tentator Orion Dianae | Virginea domitus sagitta.'

Statius de Tithyo, qui Latonam violaverat ob eamque rem Apollinis sagittis interfectus est ac poenas apud inferos sempiternas dedit, Theb. XI., 12 haec dicit: ,Quantus Apollineae temerator matris. Averno | Tenditur.'

Hor. epist. I., 2, 67: ,Nunc adbibe puro | Pectore verba puer.'
Stat. silv. V., 2, 68: ,Bibe talia pronis | Auribus.'
His locis addam:
Hor. carm. II., 13, 21 sq.:
,Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.'
Apollin. Sidon. XVIII., 126:
,Expositae legis bibat auribus ut medicinam.'
Avien. descr. orb. terr. 261:
,Sudorisque mei patulo bibe carmina rictu.'

De Theb. I., 696 sqq.:
,Phoebe parens, seu te Lyciae Pataraea nivosis
Exercent dumeta iugis, seu rore pudico
Castaliae flavos amor est tibi mergere crines'
cf. Zingerlium (Zu späteren etc.) I. p. 24.

Sub finem quaestionum Horatianarum p. 26 Luehrius de usu infinitivi more Graeco ex verbo dependentis, de adverbio cum substantivo vel adiectivo coniuncto, de adiectivo cum verbo iuncto verba fecit earumque rerum exempla attulit, qua de re ad illas res me denuo recurrere supervacaneum est.

VITA.

Natus sum Maximilianus Ferdinandus Kulla a. d. XII. Cal. Maias anno h. s. LVII Ratiboriae patre Ioanne, quem fato acerbissimo duobus abhinc annis mihi esse ereptum vehementer lugeo, matre Franzisca e gente Messenhauser, quam adhuc superstitem esse gaudeo. Postquam literarum elementa didici, gymnasium Ratiboriense adii, quod tunc E. Gaedtke, postea viro clarissimo Rudolfo Kuenstler directoribus florebat, quorum hunc mortem praematuram obiisse quattuor abhinc annis doleo. Postquam gymnasii cursum rite peregi, testimonio maturitatis munitus Universitatem literarum Viadrinam adii studiis philologicis operam navaturus. Inter cives academicos a. v. cl. G. Galle receptus per decem semestria scholis philologicis, philosophis, historicis interfui virorum doctissimorum Hertz, Reifferscheid, Rossbach, Ludwich, Weinhold, Dilthey, Oginski, Weber, Neumann, Partsch, Schultz. Seminarii regii philologici fui sodalis extraordinarius. Praeceptoribus meis imprimis vero v. ill. M. Hertz, qui semper consilio et opera me adiuvit, summas ago gratias et semper pio animo in eos me futurum esse polliceor.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Iustin. hist. II., 13, 12 legendum est: ‚tantaque fecunditas morientium fuit, ut viae cadaveribus implerentur.'

II. Iustin. hist. IV., 1, 4 sic emendaverim: ‚quae res facit, ut spiritu cum igne interiore luctante frequenter et compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet.'

III. Ampel. XVI., 2 legendum esse puto: ‚Alexander — tribus proeliis trecenta peditum, calonum, equitum, duo milia falcatorum curruum vicit.'

IV. Ampel. XVI., 4 sic lego: ‚Perses Philippi filius, cum maximis copiis Macedoniis exiisset et cum in Graeciam impetum fecisset.'

V. Tac. hist. II., 94, 10 sic mutaverim: super insitam mori et animo ignaviam.'

VI. Musaei grammatici carm. de Hero et Leandro 291 lego: ‚ἀλλ' ὀλίγον ζώεσκον ἐπὶ χρόνον οὐδ' ἔτι δηρὸν.'

VII. Soph. Trach. 435 verba ‚νοσοῦντι ληρεῖν' in ‚νοσοῦντα τηρεῖν' esse emendanda puto.

VIII. Eurip. Iphig. Taur. 1246 sic lego: ‚σκιερᾷ κατάκλιτος εὐφύλλῳ δάφνᾳ.'

IX. Eurip. Iphig. Taur. 1369 corrigendum existimo: ‚καὶ κῶλα γ' ἀμφοῖν τοῖν νεανίαιν ἅμα.' Vulgata scriptura est καὶ κῶλ' ἀπ' etc.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010660186

